



## CONGREGATIO GENERALIS LXXXVIII

25 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur 88 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione generali distribuatur Relatio super declarationem *de Iudaeis et de non christianis*, quae est declaratio altera schematis de Oecumenismo.

Audiatis, Patres amplissimi! Cum postulatum sit a Sanctissimo Domino ut Patribus Sacri Concilii caractere episcopali non ornatis facultas detur audiendi confessiones durante Concilio iuxta privilegium concessum episcopis in n. 2° privilegiorum Motu Proprio *Pastorale munus*, Sanctissimus Dominus precibus annuendum censuit, dummodo ad normam illius privilegii Ordinarius loci expresse non renuat, et hac gratia perdurante Concilio fruenda.

Audiatis pariter, Patres venerabiles! Dictum est heri terminum ultimum exhibitionis summariorum circa tertiam partem schematis *de divina revelatione* constitutum esse diem 30 septembris currentis. Quapropter terminus pro exhibendis summariis pro disceptatione *de apostolatu laicorum* comperendinatur in diem 2 octobris.

Et nunc audiatis alios terminos (bene est, si potestis, si calamo adnotetis):

Post schema *de apostolatu laicorum*, disceptabitur circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Qui vult circa hoc schema disceptare, summarium exhibeat intra diem 5 octobris.

Postmodum habentur alia schemata circa quae tantum suffragatio facienda est. Attamen, accedentes petitionibus quorundam Patrum, em.mi moderatores concesserunt ut brevis aliqua disceptatio circa singula haec schemata fieret antequam suffragatio perageretur. Haec tamen disceptatio non eo fine fit, ut commissio postea, statim postea, textum iam iterum videat et corrigat, sed fit tantummodo ut Patres in suffragatione facienda non tantum ea quae in relatione dicta fuerint comperiant, sed etiam voces quae auditae fuerint in hac aula. Itaque erit brevis disceptatio.

Sed quis quaeret: quomodo textus mutari potest si Patribus pla-



cuerit? Modo simplicissimo! Nam circa singulas propositiones fiet suffragatio per *placet*, *non placet* et *placet iuxta modum*. Itaque ille Pater qui, audita relatione et auditis etiam illis vocibus suorum confratrum in aula, velit aliquam mutationem suggerere, potest eam exprimere in suffragio *iuxta modum*. Quibus visis et perpensis suffragiis, commissio procedet ad emendationem. Evidens est quod si illae propositiones approbatae fuerint maioritate requisita, correctio ex *iuxta modum* est ad abundantiam, ad perfectionem, non vero ad necessitatem.

Ergo illa brevis disceptatio hunc finem habet ut Patres possint melius perspicere quomodo suffragia dare possint, et si casus feret, etiam apponere modum iuxta quem fiet eventualis modificatio seu correctio textus.

Iamvero termini ad exhibenda summaria pro his parvis disceptationibus sunt qui sequuntur: pro schemate *de Ecclesiis orientalibus*, statuitur terminus dies 10 octobris; pro schemate *de activitate missionali Ecclesiae*, dies 11 octobris; pro schemate *de sacerdotibus*, dies 12 octobris; pro schemate *de religiosis*, dies 13 octobris; pro schemate *de matrimonio sacramento*, dies 14 octobris; pro schemate *de institutione sacerdotali*, dies 15 octobris; pro schemate, demum, *de scholis catholicis*, dies 16 octobris.

Necessarium est ut repetam?

*Aliqui Patres*: Non, non.

*Secretarius generalis*: Non? Gratias. Lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de Oecumenismo*, nempe *de libertate religiosa*: em.mus ac rev.mus P. D. card. Franciscus Roberti; exc.mi PP. DD. Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridion.; Ubaldus Cibrian, ep. prael. null. Corocorensis in Bolivia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Hoa Nguyen-Van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Carolus Alter, arch. Cincinnatensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. Ordinis Praedicatorum; exc.mi PP. DD. Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia; Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis in Hispania; Patricius O'Boyle, arch. Vashingtonensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Georgius Dwyer, ep. Loidensis in Anglia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Abilius Del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Ioannes Ioseph Carberry, ep. Lafayetensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Carolus de Provençères, arch. Aquensis in Gallia; Antonius Ona, ep. Lucensis in Hispa-



nia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Vladimirus Malanchuk, exarcha Ucrainorum in Gallia; rev.mus P. Ioannes Prou, sup. gen. Congregationis Gallicae O.S.B.; exc.mi PP. DD. Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Carolus Maloney, ep. aux. Ludovicopolitanus in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Et nunc, Patres, audite textum suffragationis XXV. Hodie, sex aliae suffragationes fient circa schema *de Ecclesia*, cap. III. Videatis pag 15: [cf. vol. III, pars I, pag. 406]. Placetne an non placet?

## 1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. ROBERTI

*Venerabiles Patres, Fratres dilectissimi,*

Ad declarandam quaestionem de qua agitur, *scil. de libertate religiosa*,<sup>1</sup> quaeque universaliter proponi debet, ut eiusdem solutio possit ab omnibus admitti, praestat recolere distinctionem, quae tantopere accepta fuit Summo illi Pontifici Pio XI felicitis recordationis, distinctionem *scil. inter libertatem conscientiae et libertatem conscientiarum*.

Ecclesia non potest admittere libertatem conscientiae, sensu hodierno acceptam, quia sibi ipsi contradiceret; doctrinae enim non sunt omnes aequales; admittit, e contra, libertatem conscientiarum, quia reveretur iura personae humanae, quam numquam cogit ad suam amplectendam doctrinam.

Ex his principiis descendunt legitima consecretaria, de quibus alii Patres iam locuti sunt, quaeque valent tam pro singulis quam pro publica auctoritate, firmis limitibus ordinis publici et communis boni a condicionibus vitae socialis impositis. Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest.

## 2

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS HURLEY

*Archiepiscopus Durbanianus*

*Venerabiles Patres, Observatores, Auditores et Auditrices... si tandem aliquando apparuerunt in terra nostra.*

In declaratione *de libertate religiosa* propositiones sequentes inveniuntur:



« Contra vero... (in pag. 31, lin. 41, ad pag. 32, lin. 3). Contra vero, publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus professionem vel reiectionem cuiuscumque religionis tamquam conditionem, qua plene vel partialiter vitae nationali et civili participare possint ».

Et in pag. 33, linn. 4-7: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident, ideoque non possunt Communitates religiosas temporalibus finibus reipublicae subordinare ».

Haec propositiones partim saltem in aperta contradictione cum declarationibus magisterii Ecclesiae praesertim saec. XIX esse videntur, necnon cum thesibus quae usque ad hos ultimos annos in tractatibus de Iure Publico Ecclesiae defendebantur. Mea intentio non est hanc apparentem contradictionem examini subicere nec explicationem aliquam proponere. Multum certo in hac re ab evolutione notionum quae mutationibus socialibus respondet pendere videtur.

Adest autem certus aliquis aspectus quaestionis quem considerare desidero, argumentum scil. classicum pro unione Ecclesiae catholicae cum Statu. Necessarium omnino est hoc argumentum perpendere, nam pluribus ex nostris videri potest conditionem sic dictam idealem proponere, conditionem scil. quam Ecclesia ex natura rerum semper obtinere cupit quando potest, respectu relationum cum societate civili eiusque organismo directivo qui Status nuncupatur. Si argumentum istud vim probativam retinet, declaratio nostra completa et accurata dici non potest et saltem in sequenti propositione emendari debet: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident ».

Argumentum *istud classicum*<sup>1</sup> in forma sua simpliciori et potiori ita procedit: Cum homo indolis sit socialis, Deum colere tenetur non tantum qua individuum sed etiam modo sociali. Ut autem haec obligatio socialis adimpleatur, societas civilis qua talis tenetur Deum agnoscere et colere, et quidem eo modo quem Deus Ipse indicavit, scil. per Ecclesiam catholicam. Tenetur igitur societas civilis specialem erga Ecclesiam catholicam reverentiam exhibere eique assistentiam praebere.

Principium quidem omnes admittimus, scil.: Cum homo indolis socialis sit, Deum colere tenetur non solum qua individuum sed etiam modo sociali. Defectus autem in argumentatione videtur in hoc consistere quod ab illo principio saltus fit ad conclusionem secundum quam societas civilis hanc obligationem adimplendam curare debet. Defectus, dico, nam si Deus specialem societatem condiderit in qua homo obligationem suam sociale cultus adimpleat, societas civilis eo ipso a tali onere eximitur. Est enim principium fundamentale sociologiae catho-



licae quod societas civilis id tantum pro membris facere debet, quod membra per seipsa vel per aliam societatem, veluti familiam, efficere nequeunt.

Nunc autem Deus de facto aliquam societatem specialem condidit in qua homo obligationem cultus socialis adimplere potest, Ecclesiam scil. Consequenter societati civili sub Novo Testamento in hac re nulla relinquitur obligatio vel facultas propria. Unde accipi omnino potest declarationis nostrae propositio: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes cum Creatore ac Salvatore suo possident » ...<sup>2</sup>.

Rursus considerandum est quod si, vi argumenti pro unione Ecclesiae cum Statu, tenemus societatem civilem ex natura sua obligationem habere relate ad cultum divinum, implicite asserimus potestatem directam Ecclesiae in eam. Nam ubicumque existit obligatio ad cultum ibi extenditur potestas directa Ecclesiae. Et notandum est non esse quaestionem de potestate Ecclesiae in societatem civilem ratione materiae, sicut etiam societas civilis potestatem habere potest in Ecclesiam ratione materiae, in temporalibus nempe, sed est quaestio de potestate Ecclesiae in societatem civilem ratione ipsius constitutionis societatis civilis, si admittimus societatem civilem ex natura sua habere obligationem curandi aliquomodo de cultu sociali.

Talis potestas directa Ecclesiae in societatem civilem non est admittenda. Quapropter nostris temporibus et secundum hodiernam intelligentiam notionum derelinquenda videtur doctrina de unione Ecclesiae cum Statu. At nullum exinde timendum est damnum pro Ecclesia, sed potius profectus expectandus. Nam sine illa unione Ecclesia multo magis contendit ad influxum suum in omnia membra societatis exercendum quin spem et fiduciam reponat in auxiliis a Statu auspiciatis.

Neque apparet cur Ecclesia, etiam seclusa unione cum Statu, conventiones cum eo inire non possit. Professio fidei catholicae a Statu ipso praestanda non est conditio sine qua non ad conventiones ineundas. In non paucis territoriis Africae, e. g., conventiones exstant saltem implicitae secundum quas Status salaria solvit magistrorum in scholis religiosis docentium quamvis Status ipse religionem directe non curet.

Denique argumentum contra libertatem religiosam desumptum ex defectu veritatis religiosae in homine sat debile mihi videtur. Recolendum est enim quod homines, sive individui sive in societate viventes, in ordine naturali ab ignorantia, non nisi lente et ardue et per vias duras, erroris laqueis et foveis abundantes, ad veritatis possessionem progrediuntur. Talis progressus ad veritatem periculum errandi necessario implicat. Et revera historia nos docet homines quasi nullam veritatem



alicuius momenti adeptos esse sine praevia experientia erroris. Qui ergo volunt ut iura hominum a possessione veritatis pendeant hominibus implicite denegant ius cogitandi et inquirendi, loquendi et scribendi.

Conclusio est quod libertas et iura hominibus competunt non quia veritatem iam adepti sunt sed ut eam adipiscantur. Et si haec conclusio valet pro ordine naturali, valet etiam a fortiori pro ordine supernaturali; nam Deus, hominem elevando, eius libertatem non minuit sed sacra-  
vavit. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> Quamvis haec verba ita sonant ac si societatem civilem, sub omni aspectu religione destitutam, ut quid acceptabile proponerent, de facto hoc non intenditur. Dicimus solum societatem civilem qua talem non habere obligationem religiosam, sed minime a tali obligatione absolvimus membra societatis civilis. Istis enim alio ex capite profluit obligatio cultus, quae in alia societate adimpletur, scil. in Ecclesia.

*Moderator:* Audiatur secretarius generalis.

*Secretarius generalis:* Lego textum suffragationis XXVI, pag. 15: « Haec autem infallibilitas, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, tantum patet quantum divinae Revelationis patet depositum, sancte custodiendum et fideliter exponendum ». Placet an non placet?

3

EXC.MUS P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

*Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis*

*Venerabiles Patres,*

Cum rationes *circa*<sup>1</sup> declarationem de libertate religiosa prout in se iacet et observationes quas ad eam perficiendam paraveram iam ab aliis oratoribus prolatae sint, ne taedio vobis afficiar et praesertim ad normas directivas Patrum moderatorum adimplendas illas omittam et tantum in memoriam revocare audeam duas ex his rationibus. Sunt sequentes:

1. *Quia non veris, aut saltem non adaequate propositis principiis doctrinalibus nititur.* Etenim tamquam fundamentum et principium normativum totius huius quaestionis « De libertate religiosa » ponit libertatem ipsam et personam humanam. Hoc autem nequaquam admitten-

dum esse puto, cum primatum hac in re non habeant nec libertas nec persona humana, sed veritas et Deus, quibus illae *subiciuntur*,<sup>2</sup> et a quibus normari oportet. Praeterea, iuxta schema non tantum libertatem psychologicam actus fidei tutandam esse debere, quod ab omnibus admittitur, sed etiam libertatem moralem et iuridicam, ita ut libertatis causa ius sit cuique eam amplecti, profiteri ac praedicare religionem, quam rationis lumine et conscientia ductus veram putaverit, et *in thesi* ...<sup>3</sup>, eodem iure fruantur, tam ad intra quam ad extra, sive qui veram sive qui falsam religionem profitentur. Quod absonum et absurdum est; ...<sup>4</sup> docente Summo Pontifice Leone XIII: Ecclesia nihil quidem *impertit*<sup>5</sup> iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sunt; et veritas existimata seu subiective tantum veritas, subiectivum forsitan ius fundare valet, authenticum et obiectivum nullatenus.

2. *Confundit absolutam veritatem principiorum moralium cum eius practica et contingenti applicatione.* Veritas enim principiorum moralium independens est ab eius applicatione in casibus particularibus. Et vera erunt, quamvis in praxim deduci nequeant, vel rationes particulares suadeant ne in praxim deducantur. Ratio est, quia ut ait S. Thomas, applicatio principiorum moralium non fit regulis logicae sed regulis prudentiae christianae, quae contingenter procedunt, attentis dispositionibus subiecti et circumstantiis temporis et *loci*.<sup>6</sup> Sed exinde nihil inferre contra veritatem principiorum licet cum veritas sit aeterna et immutabilis.

Igitur declaratio de libertate religiosa in parte doctrinali de novo *exaretur*<sup>7</sup> iuxta principia traditionalia magisterii ecclesiastici, ne inde in dubium revocetur validitas huius magisterii et ne Ecclesia ut sibi ipsi non consentanea appareat docendo sollemniter in Concilio doctrinam contrariam ad illam quam usque nunc docere consuevit in magisterio ordinario.

Quoad applicationem vero practicam:

Cum conditiones et circumstantiae hominum hac nostra aetate sint tam diversae ...<sup>8</sup>, cum pax et concordia inter homines et inter diversas nationes sit bonum maxime desiderandum ...<sup>9</sup> et tandem cum verus oecumenismus — *qui in corde omnium est*<sup>10</sup> — in praxim deduci nequeat nisi in plano fraternitatis et libertatis, Concilium nostrum alte et sollemniter proclamet libertatem religiosam, quam dicunt, in praxim esse deducendam tam pro individuis quam pro coetibus religiosis, sine detrimento vero boni communis ...<sup>11</sup>. Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> contra. <sup>2</sup> subici debent. <sup>3</sup> etiam. <sup>4</sup> nam. impertiit. <sup>6</sup> locorum. <sup>7</sup> exarare oportet. <sup>8</sup> ab illis in quibus Ecclesia fuit alio in tempore, <sup>9</sup> quae pax et concordia consequi non valeamus

nisi hac libertate supposita. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> et servatis regulis prudentiae pro illis nationibus in quibus scandalum oriri potest, cum etiam catholici ius habeant ne causa libertatis periculum in fide ipsis praebatur.

*Animadversiones additae:*

Quatuor praecipuis de causis declaratio schematis *de Oecumenismo*, ubi *de libertate religiosa* non placet, et prorsus reiciendum esse puto.

1. Quia non veris, aut saltem non adaequate et recte propositis principiis doctrinalibus nititur. Quod in damnum vertit ipsius veritatis, praesertim prout a Concilio proponendam esse censeo.

2. Quia nimis philosophice, et, ut ita dicam, rationalistico modo videtur procedere, cum detrimento veritatis christianae, quae ante omnia *ex articulis fidei* procedere debet.

3. Quia totaliter ignorat et parvipendit magisterium ordinarium Ecclesiae, praesertim Romanorum Pontificum, qui, *data opera*, docuerunt et normas dederunt hac in re. Quod ansam praebet contemptui ipsius magisterii et nocumentum infert toti theologiae. Si in re tanti momenti sic ignorare liceat magisterium, cur non et in aliis quaestionibus?

4. Quia confusionem magnam ingerit inter veritatem absolutam principiorum ordinis moralis, quae per se stat, quamvis ad praxim non reducat, et practicam eius applicationem, quae est contingens et diversimode evenire potest.

*En uniuscuiusque asserti rationes:*

1) *Nititur principiis falsis aut non adaequate propositis.* Revera, tamquam fundamentum et principium normativum totius huius quaestionis *de libertate aut conviventia religiosa*, ponit libertatem ipsam et personam humanam. Hoc autem nequaquam admittendum esse puto, cum primatum hac in re non teneant nec libertas nec persona humana sed *veritas* et *Deus*, quibus illae subiciantur et a quibus normari et gubernari debent. Praeterea, iuxta schema, non tantum libertatem psychologicam actus fidei tutandam esse debere, quod ab omnibus admittitur, sed etiam libertatem moralem et iuridicam, ita ut, libertatis causa, ius sit cuique eam amplecti ac profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit; et, *in thesi*, eodem iure fruantur, tam ad intra quam ad extra, sive qui veram sive qui falsam religionem profitentur. Quod etiam absurdum et absurdum est, nam, docente Summo Pontifice Leone XIII, Ecclesia nihil quidem impertiit iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sunt; et veritas existimata, seu subiective tantum veritas, subiectivum ius forsitan fundare valet, authenticum et obiectivum ius, nullatenus. Qui auricalcum existimat aurum aut falsam veram monetam reputat, pro domo sua faciat quidquid vult, sed extra domum errorem suum non diffundat nec ullum ius invocet, cum legibus, pro bono communi latis, puniri possit.

2) *Nimis philosophice aut rationalistico modo procedit.* Nam iura personae humanae, iura libertatis, homo, civis, multum sonant in schemate. Principia autem fidei circa veritatem christianam et ordinem christianum, cui vel quibus illa omnia conformanda sunt, raro vel valde parum invocantur. Cum proprium doctrinae christianae sit, praesertim si in Concilio Oecumenico proponitur, *ex articulis fidei* procedere. Primatum ergo in schemate non teneat nec homo nec ratio, sed Christus et veritas christiana, qualis ab Ecclesia proposita semper fuit.

3) *Ignorat et infirmat valorem magisterii.* Quia, ubinam sunt documenta et testimonia gravissima Summorum Pontificum, qui *data opera*, hac in re



principia et normas catholicas nobis dederunt. Perlustra paginas schematis, nihil invenies. Iam vero, est doctrina communis hac in re, quae in omnibus manualibus theologiae invenire possis, quae in practica concordataria Ecclesiae sustinetur, quantum potest, quaeque saepe saepius a Summis Pontificibus solemniter proposita fuit. Sufficiant haec testimonia quae aperte contradicunt quae in hoc capite inveniuntur. Ait v. g. Pius IX: « Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit » (DENZ. 2915); haec propositio erronea est, sicuti ista: « Aetate nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis » (DENZ. 2976). Leo XIII scripsit: « Divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere » (DENZ. 3174). Et etiam: « (Ecclesia) nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sint... » (DENZ. 3251). In Encyclica vero *Libertas* expressis verbis ait, malum et errorem nullum ius habere nec ad diffusionem nec ad protectionem. Quod et Pius XII in allocutione ad iuristas 6 decembris an. 1953 rursus asserit. Simul docendo: « Ella (la Iglesia) por principio, o sea en tesis, no puede aprobar la separación completa de los dos poderes ».

4) *Confundit absolutam veritatem principiorum moralium cum eius practica et contingente applicatione.* Veritas enim horum principiorum independens est ab eius applicatione. Et veritas urget quamvis in praxim deduci nequeat vel non expediat. Ratio est, quia, ut ait S. Thomas, applicatio principiorum moralium non fit regulis logicae sed regulis *prudentialium* christianae, quae contingenter procedunt, attentis dispositionibus subiecti et circumstantiis temporis et loci. Sed inde nihil inferre licet contra veritatem aeternam principiorum, quorum instantia est permanens etiam si in casu imponi nequeat.

*Summatim* ergo. Caput de libertate religiosa omnino reiiciendum est donec funditus corrigatur, et melius appareatur, quae innumus prae oculis habita. Forsitan ad aliquam communem et practica conclusionem hac in re omnes pervenire possimus, applicationem principiorum quaerendo hic et nunc magis proficuum et convenientem Ecclesiae et societati humanae.

Sed non in discrimen vocentur principia ipsa seu doctrina hucusque in scholis catholicis tradita et a Summis Pontificibus edocta. Veritas theoretica horum principiorum ordinis moralis semper intacta remanet et ad idealem nobis instaurandum semper impellit, quamvis non semper in praxim reduci queat vel conveniat.

Liceat mihi, magna cum reverentia, aliquas observationes declarationi *de libertate religiosa* hic addere.

1. *Fundamentum doctrinale libertatis religiosae accuratius stabiliatur.* In n. 26, linn. 6-9 declarationis legimus: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati, officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur ».

Hoc, ni fallor, minus recte dictum esse videtur. Nam ius ad libertatem religiosam bene in correlativo officio hominis erga Deum, Creatorem et Redemptorem suum, a quo revera obiective et absolute pendet, fundatur. Et homo religiosus in honore ponitur non precise quia Deum honorat iuxta dictamina conscientiae suae, sed iuxta voluntatem obiectivam Dei. Sequi enim erroneam conscientiam vel falsam colere religionem honor hominis dici non debet.

Incisus ergo: « secundum dictamen conscientiae suae », qui quasi furtive hic



introducitur, e medio tollatur; nam principium fundativum libertatis religiosae per se stare debet et valorem absolutum habet, quamvis, attenta fragilitate humana, pro praxi valeat, in linea tolerantiae, quod nonnisi valorem relativum habet. Dictamen conscientiae erroneae quaedam relaxatio iuris dicenda videtur, quae in principium vel fundamentum validum libertatis religiosae erigi non valet.

2. *Melius etiam ius tribuendum coetibus religiosis pro annuntiationi et propagationi propriae religionis formulatur.* Quod in n. 30, linn. 38-43 eiusdem declarationis legitur, reformandum esse debere puto. Nam talis universalis affirmatio iuris, praeterquam quod falso vel aequivoco fundamento nititur, scil. dictamine propriae conscientiae, multa incommoda in praxi gignere potest. Supponit enim omnes homines capaces ad efformandum iudicium verum et rectum de re religiosa. Cum e contra quaestio religiosa ita difficilis et complexa sit, ut solo adiuvante Dei gratia et supernaturali suo lumine adiuti ad agnitionem verae religionis pervenire possimus. Hinc est quod homines sint revera pauci qui investigatione propria ad exactam notitiam verae religionis perveniant. Et proinde pro maiore parte hominum tale iudicium personale et theoretice certum non requiratur, sed sufficiat stare iudicio et auctoritate peritorum vel magistrorum praesertim timoratae conscientiae. Sic catholici prudenter et pacifice in possessione religionis suae supernaturalis sunt sub ductu magisterio Ecclesiae. Contrarium redolet rationalismo et naturalismo et pro indifferentismo et agnosticismo in re religiosa certat. Religio supernaturalis propriis viribus et sola rationis lumine adipisci nequit. Ergo cum religio catholica donum Dei gratuitum sit, de ipsa dubium serium a catholicis haberi nequit et suspicionem circa ipsam ingerere in alios vitandum est. Iam vero libertas religiosa qualis in declaratione proponitur, prae oculis habet eos qui foris sunt, et de eorum iuribus multum curat, sed de iis qui veram et supernaturalem religionem profitentur atque de eorum iuribus et privilegiis satis parum dicit et non recte.

3. In n. 30, linn. 20-22 affirmatur Rempublicam seu Statum ineptum esse ad iudicium circa rem religiosam ferendum. Quaero: Si simplex et humilis homo potest, duce Ecclesia, efformare iudicium practicum rectum de vera religione, cur et hoc non poterit, ipsa ducente Ecclesia, et Auctoritas Civilis hominibus magis praeparatis sine dubio constans?

Accuratius et verius ergo haec quae hic innuuntur in declaratione exponantur.

## 4

EXC.MUS P. D. FRIDERICUS MELENDRO

*Archiepiscopus Nganchimensis*

*Venerabiles Patres et Fratres omnes dilectissimi,*

*Temporis penuria, laudes omitto quas appendix de libertate religiosa vere meretur. Proponam breviter quasdam animadversiones ad eum perficiendum.<sup>1</sup> Defectus generales:*

1. Prout doctrina proponitur, statui videtur tamquam praecipua moralitatis norma in re religiosa *dictamen conscientiae individualis*, praetermissa mentione cuiuscumque normae obiectivae.



2. Ecclesia in hoc textu proclamat *ius et libertatem*, tum personarum singularum tum coetuum, *opinandi* in re religiosa, *observandi* ritus *cuiuscumque religionis*, quamcumque religionem *propagandi*; cum ex divino mandato Ecclesia gravissimam obligationem habeat praedicandi, conservandi et defendendi *unicam veram a Deo statutam religionem Christi*.

3. Unica vera Christi Ecclesia catholica, ad *ius* propagandi religionem quod attinet, falsis religionibus aequiparatur.

4. Adeo extolluntur *iura*, etiam *mere putativa*, vel falso existimata, personae individuae et coetuum, ut *iura divina*, atque *officia vera ac iura* auctoritatis civilis bonique communis ignorari videantur.

5. *Dignitas personae* humanae reponitur in eius *libertate*, quam Deus ipsi concessit. Etsi hoc in radice verum sit, tamen proprie et extricte dignitas hominis *in recto usu ...<sup>2</sup> libertatis consistit*.

6. Vix aliquid in textu continetur de vero officio et de gravi obligatione, quibus homo tenetur, inquirendi, quaenam sit unica vera religio ei praescripta, ad eam amplectendam et fideliter observandam.

7. Nihil in textu dicitur de iure et obligatione auctoritatis civilis colendi verum Deum, veramque religionem protegendi et favendi.

8. Haec appendicis doctrina legitimum *boni oecumenismi* motum impedit, veramque christianorum unitatem impossibilem reddit. Si enim quilibet valet annuntiare propriam *suam* religionem et ad eam omnes alios homines adducere, curnam *suam* deserere et aliam quaerere?

9. Admissa huius appendicis doctrina, catholicorum zelus missionarius minuetur. Immo eis ansa praebetur ut falsam religionem amplectantur, quae laxiorem eis vitam moralem permetteret.

10. et ultimo. Proh dolor! ex doctrina, falsae libertati in re religiosa favente, mala non pauca, gregi christiano obventura, Ecclesia catholica merito timere potest. Immo iam in ephemeridibus, etiam catholicis, pauca non recte de hac re hoc ipso anno scripta sunt. Hac etiam de causa evenit ut in quibusdam Nationibus numerus conversorum ad catholicam Ecclesiam minueret. Inter catholicos autem aliqui de veritate suae religionis dubitare coeperunt.

*Conclusio*. Huius appendicis doctrinam in multis fore reficiendam, prorsus necessarium apparet. Immo vero quaestio de libertate religiosa consultius optandum est ut maturescat, et ideo ad aptius tempus mittenda videtur. *Attamen adhaereo propositioni heri in hac aula exposita ab exc.mo Petro Parente quoad rationem reformandi hanc declarationem de libertate religiosa.*<sup>3</sup>

*Secretariatus tradam particulares animadversiones ad nn. 25, 26, 28, 29 et 30.*



*Pauca nunc addam de numero 29.*<sup>4</sup> In pag. 30, n. 29, in linn. 34-37, asseritur: « Libertatem religiosam non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse, Ecclesia catholica asserit ».

Verba haec, prout sine ulla distinctione et accuratiori determinatione proferuntur, efferre videntur omnimodam paritatem religiosam competere omnibus et pro omnibus; nulla facta distinctione inter veram et falsas religiones; inter legitimum et debitum Deo cultum et falsum; inter veritatem et falsitatem. Eiusmodi doctrina neque in iure naturae, neque in Evangelio, neque in documentis Pontificum reperitur, immo iisdem adversari manifestum est.

Undenam, quaeso, exoritur pro falsis religionibus ius profitendi, manifestandi, praedicandi errores contra legem divinam sive naturalem sive evangelicam, in quibus plurimi absque culpa inciderunt? Si tale ius ac proinde consequens libertas religiosa, sic intellecta, falsis religionibus agnoscatur, nulla iam magni momenti differentia veram inter et falsas religiones assignari poterit.

Ecclesia catholica, quae fide explicita tenet, sibi soli Christum dedisse missionem, mandatum, officium et ius, atque inde manantem libertatem, custodiendi, propagandi et defendendi integrum depositum religionis unice verae et omnibus ad salutem necessariae: potesne sine flagranti contradictione solemnitè in Concilio agnoscere et proclamare, huiusmodi ius, et ex eo deductam libertatem, competere etiam alii cuicumque coetui religioso? Licetne nobis, apostolorum Christi successoribus, iureiurando fidelitatis erga Evangelium ligatis, tale decretum edere? Verba ergo praedicta ...<sup>5</sup> corrigenda fore putamus ...<sup>6</sup>.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> suae. <sup>3</sup> deest. <sup>4</sup> Ad n. 25, pag. 29, linn. 1-5. In hac paragrapho affirmatur: « rectam libertatis religiosae considerationem conferre ad relationes et contactus sereno et pacato animo instaurandos inter christianos », in ordine sane ad optatam omnium unitatem obtinendam.

Attamen doctrina, prout in hac *declaratione* proponitur, non videtur esse recta via, quae ad *veram* christianorum unitatem conducat. Etenim vera unitas dari nequit nisi fundetur dogmaticis quibusdam principiis, quae in hac *Declaratione* silentio praetermittuntur.

Nam, a) Unicam Christus fundavit Ecclesiam usque ad consummationem saeculi duraturam, quam esse catholicam romanam credimus. Reliquae ergo nequeunt a nobis simpliciter haberi ut verae Ecclesiae.

b) Sola Ecclesia a Christo fundata integram ab eo praedicatam doctrinam morumque disciplinam retinet. Reliquae ergo, quae huic fidei deposito sententias contrarias tenent, nequeunt a nobis ut verae agnosci.



c) Solis apostolis, eorumque legitimis successoribus usque ad consummationem saeculi, Christus mandavit: « Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (Mt. 28, 19 s.), et gravissimam obligationem omnibus imposuit accipiendi hanc apostolorum praedicationem: « qui vero non crediderit condemnabitur » (Mc. 16, 16). Ergo aliis, qui intra hanc apostolorum successionem non sunt, idem praedicationis ius et officium agnoscere non possumus.

Ex his principiis, quae de fide sunt tenenda, hae conclusiones eruuntur.

1. Unica existit Christi Ecclesia, in quam omnes intrare tenentur.

2. Coetus christiani, qui integram Christi doctrinam non possideant, sed aliam doceant verae Ecclesiae contrariam, non sunt a nobis in eorum erroribus relinquendi, sed ad verum Christi gregem attrahendi sunt.

3. Sola Ecclesia a Christo fundata mandatum et officium, missionem et ius, et hinc plenam libertatem sibi vindicare potest praedicandi omnia quae ab ipso Christo mandata sunt. Reliqui autem coetus christiani, utpote non habentes a Christo huiusmodi mandatum vel officium, missionem vel ius, morali libertate carent praedicandi doctrinas verae Ecclesiae contrarias.

*Conclusio.* Ex dictis patere videtur, « libertatis religiosae considerationem (prout in hac declaratione proponitur) minime conferre ad relationes et contactus instaurandos inter christianos » ita ut ad *veram* omnium unitatem conducant. Immo vero in doctrina, prout proponitur, solum aperitur via ad omnium coetuum christianorum meram *coexistentiam* in indifferentismo saltem *practico* fundatam. Hoc autem admissio, difficultates auferentur, quae magis magisque impedirent quominus omnes christiani *vere* in *unum* Christi gregem coadunarentur sub *uno* summo pastore.

Ad n. 26, pag. 29, linn. 6-25. In hoc numero statuitur *principium* ex quo oritur *ius ad libertatem religiosam*. Et quidem fere solum agitur in hoc numero de *ordine obiectivo et constitutivo*, prout aperte patet, inter alia, ex verbis: « Per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est, quasi falsum et verum possit aequae aestimare, vel ab omni erga Summum Numen obligatione solutus esset, vel ipsi officium non incumberet rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi, vel sibi pro libito statuere valeret utrum et in qua religione Deo servire velit » (linn. 16-21).

Attamen aliqua et certo modo intercalantur verba, quibus ordo obiectivus et constitutivus subordinatus tandem normae subiectivae asseri videtur. Talia verba sunt praesertim: « *secundum dictamen conscientiae* » lin. 8, necnon vox « *sua* » lin. 10. Haec evidenter pertinent ad ordinem subiectivum, atque ita in textum inseruntur, ut dictamini conscientiae subiectivae obiectivus ipse ordo divinus subordinatus tandem esse videatur.

Verum quidem est dictamen *rectae* (haec quidem vox in schemate saepe deest ubi nullo modo omitti deberet), conscientiae, dico, *rectae* dictamen esse *normam moralitatis* subiectivam, praeceptivam et immediatam, quae cum prorsus falli, errare, perverti et obscurari possit, ideo plane debet subiici *normae moralitatis* obiectivae, constitutivae et supremae divinitus statutae, quae falli nequit et ab omni errore et perversione immunis est.

Si verum esset, quod schema asserere videtur, conscientiam individualement esse simpliciter moralitatis normam, concludendum esset, v. g., hominem, qui secundum dictamen *suae conscientiae* et ob motivum *suae* religionis semetipsum

comburit, sequi fideliter et adimplere voluntatem Creatoris!!!, vel etiam hominem, qui secundum dictamen *suae conscientiae* credit, quamcumque religionem christianam esse veram, voluntatem Salvatoris sequi revera et adimplere indiscriminatim hanc vel illam amplectendo!!! etc. etc.

Porro eiusmodi doctrina repugnare videtur iuri naturali, divinae revelationi et Summorum Pontificum apertis doctrinis. *Ad notam 1*, quod attinet, valde dolendum est, perperam in ea interpretari doctrinam Pii IX et Leonis XIII de hac re. Falsa enim est restrictiva et mutilata interpretatio, quae proponitur, quasi Pontifices voluerint *solummodo* condemnare rationalismum atheum et statismum absolutum. Integram, non mutilam, documentorum Pontificum doctrinam sincere et sine praesudicio perscrutantes, plane animadvertunt, Pontifices intendisse asserere et vindicare iura *Ecclesiae catholicae* divinitus attributa, contra omnem *statismum*, *rationalismum* et *liberalismum*. Hoc patebit legenti solum Encycl. *Libertas praestantissimum* LEONIS XIII, *A.S.S.*, 20, pp. 602-605, ubi breviter ad synthesim tota reducit doctrina.

*Conclusio*. In lin. 8, verba: « secundum dictamen conscientiae » deleantur, id enim quod intenditur, sufficienter et accuratius exprimitur iam illis verbis: « vel homini officium non incumberet rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi », quibus norma subiectiva bene obiectivae normae subordinata exhibetur. In lin. 10 vox *suam* substituatur verbis: « ipsis a Deo praescriptam » ne putetur plures aequae validas religiones dari.

Praeterea, ad complendam fundamentalem doctrinam huius numeri 26, *de norma obiectiva, constitutiva et suprema* agendi in re religiosa, oportet et omnino necessarium esse videtur includere divinum et positivum Evangelii praecceptum, sollemnibus Domini verbis promulgatum. Ideo in pag. 29, lin. 21, post verbum « velit », addendum est: *praesertim cum Deus sollemne mandatum omnibus dederit, amplectendi unicam a Christo fundatam religionem* (cf. *Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16).

Ad n. 28, pag. 30, linn. 17-20. « Respicendum... (usque ad)... invitatur ».

Quae hic dicuntur compleri debent. Nam *respicendum* est, non solum ad gratiae mensuram, ad officia erga verbum Dei et ad personae iura, sed etiam, et sub adpectu pastoralis *praesertim*, ad naturae lapsae conditionem; « sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt » (*Gen.* 8, 21; cf. *Mt.* 15, 19). Neque solum dicendum est homines ad fidem amplectendam « *invitari* », sed etiam et praesertim *divino praecepto urgeri*.

Unde linn. 19 et 20 melius redigi poterant hoc modo: ... « gratiae, quae a Deo tribuitur homini, qui ut fidem libere admittat invitatur et sub discrimine salutis iubetur » (cf. *Mc.* 16, 16). « Pastori vero animarum semper praesens sit oportet naturae lapsae conditio, « sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt » (*Gen.* 8, 21; cf. 6, 5; *Mt.* 15, 19); atque ideo Evangelii minister semper sibi dictum habeat S. Pauli monitum: « praedica verbum insta opportune, importune; argue obsecra increpa in omni patientia et doctrina » (2 *Tim.* 4, 2).

Linn. 23-24: verba: « et sine animi reprehensione » simpliciter omittantur. 1. quia non sunt necessaria; 2. quia non patet quid illis significari intendatur; 3. quia sensum non rectum habere possunt. Nam « caro concupiscit adversus spiritum », et qui vult Christum sequi oportet ut crucem tollat quotidie (*Gal.* 5, 17; *Lc.* 9, 23); unde sequitur, liberam Evangelio adhaesione in natura lapsa de facto *non dari* « sine animi reprehensione ».



Linn. 25-26: assertio, « In annuntianda autem veritate ab omni directa vel *indirecta* coactione abstinendum est », simpliciter deleatur. 1. quia id veri, quod in eo est, accuratius exprimitur immediate postea linn. 27-33; 2. quia assertum illud, « ab omni *indirecta* coactione abstinendum est », dici nequit simpliciter verum. Nam terrores damnationis aeternae, quos Christus saepe in animis auditorum excitabat; illud « compelle intrare » ad nuptias, quas Pater-familias paraverat Filio suo (Lc. 14, 23) et alia huiusmodi, nonne indirectae coactiones sunt? Aliunde vero, miracula, charismata extraordinaria, beneficentiae opera, quibus Christus et apostoli praedicationem commendabant, et quae *extrinseca* plane sunt subiecto, obiecto et actui fidei, nonne coactionem *indirectam* important? Instructio catechetica et religiosa, quae *pueris* et *rudibus* impertienda est, nonne coactio *indirecta* dici debet? In homine *lapso*, qui *contra Evangelium* indirectam coactionem de facto patitur, tum propter humani cordis propensionem in malum, tum propter adversas diaboli insidias (Gen. 6, 5; Eph. 6, 11; 1 Pt. 5, 8), nonne commendandus usus prudens coactionis *indirectae*, quae et *quatenus* necessaria sit ad compensandam humanam et diabolicam coactionem contrariam? Nonne hoc consentaneum est *paternae paedagogiae divinae*, qua Deus « quos amat, arguit et castigat »? (Apoc. 3, 19; Prov. 3, 11-12).

*Conclusio.* Tollatur assertio linn. 25-26; vel ad minus, verba: « directa vel indirecta », substituantur sola voce: « *vera* ». Tollantur etiam verba notata linn. 23-24. Linn. vero 19 s. redigantur modo indicato. <sup>5</sup> pag. 30, linn. 34-37. <sup>6</sup> Ad lin. 38, ubi dicitur: « Vocatio divina... maximam... personae humanae dignitatem constituit ». Haec vocatio ex parte Dei magnum quidem aut maximum Creatoris et Redemptoris donum est. Dignitas vero maxima humanae personae proprie non consistit in divina vocatione, sed in executione, cum Dei gratia, illius vocationis.

Ad lin. 15, pag. 31, ad verba: « Ideo qui conscientiae suae sincere oboedit », addenda est vox « rectae », hoc fere modo: « qui rectae conscientiae suae sincere oboedit ». Secus assertio falso sensu interpretari valet.

Pag. 31, linn. 17-20, affirmatur: « Si quis igitur, quantumvis conatus sit recte videre, quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo neque ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen ».

Nonne contrarium videtur saepe tenendum fore? Si quis enim aperte cognoscit, fratrem suum in erroneam et sibi damnosam interpretationem incidisse, non tantum ius, sed saepe officium caritatis habebit inducendi fratrem ad erroneae conscientiae suae dictamen mutandum. Si civilis auctoritas conspiceret aliquem volentem occidere hominem, auctoritas non solum valet, sed etiam debet illum a tali proposito cohibere, quantumvis ipse proclamet se ius et bonas rationes habere ad eum occidendum.

Ad n. 29, pag. 31, linn. 22-29, ubi legimus: « ab Ecclesia catholica vindicatur libertas opinionis... libertas adimplendi *ritus propriae religionis*... ius *verum et proprium*... ad totam vitam suam ordinandam secundum postulata *suae religionis* in omnibus humanae vitae activitatibus... ».

*Ante omnia* dicendum est: *contra unicam veram*, a Deo *omnibus praescriptam* religionem, immo *praeter eam*, utpote quae omnibus ut ad salutem necessaria imposita a Deo est, nequit omnino dari ullum *verum et proprium ius* hominis; sed solum, in casu *erroris invincibilis* et in homine *bona fide* decepto, admitti

debet *ius* mere *putativum* vel *existimatum*; nam contra veritatem divinam et contra Dei legem naturalem vel positivam, *ius verum* et *proprium* nullum datur.

*Praeterea*, ad illud: « ab Ecclesia catholica vindicatur *libertas opinionis* ». Si hoc verum esset simpliciter et sine addito, Ecclesia proclamaret libertatem opinandi, quamcumque religionem esse veram, quemcumque articulum doctrinae religiosae sive verum sive falsum posse defendi. Hoc sane nihil aliud esse videtur quam proclamatio libertatis (non solum psychologicae et civilis, sed etiam moralis, quia nulla restrictio exprimitur), cogitandi in re religiosa quidquid homini placuerit. Nonne hoc esset humanae rationis elevatio supra omnia et agnitio rationalismi merito iam ab Ecclesia damnati?

*Secundo*, ad illud: « ab Ecclesia vindicatur libertas adimplendi *ritus propriae religionis* ». Ecclesiae non licet vindicare libertatem simpliciter exercendi ritus mahumedismi, iudaismi, etc.; neque libertatem peragendi Coenam Domini quacumque ratione intellectam, etc.

*Tertio*, ad illud: « ab Ecclesia vindicatur *ius ad ordinandam* totam vitam iuxta postulata *suae cuiusque religionis in omnibus humanis activitatibus* ». Ergo Ecclesia vindicaret, si hoc assereret, *ius verum* et *proprium*, contra Dei legem, praedicandi, v. g. omni fidei ius inesse sacram Scripturam libere interpretandi; vel Poenitentiam non esse sacramentum; vel in Eucharistia non dari verum Corpus Domini etc. etc.; atque iuxta hanc erroneam praedicationem omnem ordinare vitam, ius verum et proprium revera existere, Ecclesia vindicaret. Unde patet, doctrinam hanc, prout exstat, non posse dici simpliciter veram.

Aliud enim est *facultas*, a Creatore homini data, cogitandi verum vel falsum, operandi bona vel mala; et aliud prorsus diversum est *ius* cogitandi verum vel falsum, operandi bona vel mala. Qui enim cogitat falsa in errorem incidit, et ideo miseratione dignus est, neque *vero* sui intellectus *iure* ad veritatem *proprie* uti dici potest. Qui vero mala opera facit, peccat contra suum Dominum et *servus* fit peccati.

Homo sane *libertate psychologica* gaudet, et ideo potest Deo revelanti non credere; sed gravissimo mandato tenetur divinam revelationem amplectendi, et ideo *libertate morali* in hoc a Deo privatus est.

Homo gaudet quidem facultate *physica* peccandi, sed gravissimum habet *officium moraliter* abstinendi a peccato.

*Conclusio*. Omnino oportet doctrinam huius n. 29 accuratius proponere ita, ne Ecclesia solemniter doceat contraria iis quae iam definita sunt.

Ad n. 29, pag. 31, lin. 41 ad pag. 32, lin. 3, ubi legimus: « publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus professionem vel reiectionem cuiuscumque religionis tamquam condicionem, qua plene vel partialiter vitae nationali vel civili participare possint ».

Haec ita absolute et simpliciter, absque accuratioribus distinctionibus, quae a diversis circumstantiis rerum vel personarum de facto exiguntur et saepe, historia teste, exiguntur, asseri non posse videntur.

In nationibus enim unitate religiosa gaudentibus, in illis praesertim in quibus minima tantum dissidentium pars de facto moratur, ipsum bonum commune, ipsa omnino praevalens voluntas maioris partis civium, ipsa legitima continuatio historiae culturae humanae nationis, veris religionis principiis imbibitae et ad eximiam perfectionem elevatae, aliaeque magni ponderis rationes exigere possunt ut, exempli gratia, qui primam auctoritatem tenet et ipsum statum praesertim



repraesentat, qui quarumdam disciplinarum religiosarum et culturalium publici magistri sunt, qui nationis quasdam gubernationes exercent quae ad continuitatem simul et progressum humanae culturae nationis magnum influxum exercere valent, qui aliter fiduciam longe maioris civium partis obtinere non valerent: ex iis, dico, obiectivae circumstantiae exigere possunt ob rationes gravissimas, ut mentalitatem religiosam longe maioris civium partis possideant huiusmodi civitatis rectores. Ita de facto per decursum saeculorum, teste historia, in pluribus diversarum religionum nationibus observatum est et hodie adhuc observatur, minime contradicentibus magnis theologis insignibusque iuris gentium peritis.

Ad n. 29, pag. 32; lin. 4, asseritur: « libertas religiosa offenditur damnatione ad poenas propter rationes religiosas ». Censeo multo melius et accuratius dici deberet « propter rationes *mere* religiosas », ut veritas fidelius exprimatur, et ad cavendas innumeras difficultates, quae ex sacra Theologia, ex Iure Canonico, et ex Ecclesiae vera historia contra schematis assertionem, prout iacet, iure moveri possunt.

Ad n. 30, pag. 32, lin. 38 ad pag. 33, lin. 3, ubi affirmatur: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sinceræ honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato tamen "proselytismo" quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur. Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient ».

His verbis Ecclesia in Concilio coadunata agnoscit et proclamat simpliciter *ius coetibus religiosis quibuscumque* competere annuntiandi et propagandi doctrinas *suae* religionis; atque coetus libere sic annuntiantes *suam* religionem nequaquam impediri possunt quominus alii homines eorum communitati sese libere adsocient.

Hanc doctrinam falsam esse iam ostendimus iis quae adnotavimus supra ad n. 29, pag. 30, linn. 34-37. Ulterius eam damnosam futuram probamus.

1. Credimus Christi Ecclesiam « unam esse, sanctam, catholicam et apostolicam ». Credimus hanc tantum Ecclesiam a Iesu Christo mandatum accepisse: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (Mc. 16, 15-16). Si ergo unica est vera Christi Ecclesia et ipsi tantummodo commissum fuit mandatum annuntiandi Evangelium salutis; huic ergo Ecclesiae unice ius competit propagandi unicam veram religionem. Neque in re religiosa ius ullum est nisi a Deo mittente vel mandante veniat.

2. Aliae Ecclesiae, coetus vel communitates religiosae, undenam ius habent propagandi suas doctrinas, partim saltem falsas et Evangelio Christi oppositas? « Si quis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit: quia non est aliud Evangelium, nisi sunt alii perturbatores » (Gal. 1).

3. In allocutione *Ci riesce* ad Iurisconsultos italos Pius XII edixit: « Quod non respondet veritati et legi morali nullum obiectivum ius possidet, nec ad existendum, nec ad propagationem, nec ad actionem »: cf. *A.A.S.*, 45 (1953), p. 799.

4. Quis approbare audebit et concedere ut ecclesiae, sectae, coetus religiosi (quantacumque bona fides in eorum praedicatione supponatur) ius possidere dicantur annuntiandi (maxime in nationibus iam catholicis): Mariam non fuisse



Virginem, nullumque ei cultum tribuendum; vel solam fidem in Christo ad salutem sufficere; vel alia pariter falsa et erronea?

5. Si omnibus religionibus par est ius praedicationis hominibusque licet eis adhaerere et in illis aeternam salutem assequi; ergo etiam unicuique licebit illam religionem sequi, quae sibi magis placuerit.

6. Si proclamatur ius omnibus religiosis coetibus competere propagandi suas doctrinas, saepe saepius inter se oppositas, qua ratione obtineri poterit vera unitas, quam sanus Oecumenismus assequi procurat?

7. Iuxta ephemerides, quibusdam in nationibus numerus conversionum ad catholicismum iam minuit, ideo quia sperant Vaticanum II libertatem religiosam pro omnibus fore proclamaturum.

*Tandem.* Verba illa: *vitato « proselytismo » qui mediis inhonestis utatur*, non placent. Non enim omnis *proselytismus* mediis utitur impropriis et inhonestis. Ceterum in ordine pratico valde difficile est determinare quando proselytismus improbatione dignus existat et in quo proprie consistat.

*Conclusio.* Quaestio de *libertate religiosa* nunc omittenda ut maturescat.

*Secretarius generalis:* Communico exitum suffragationis XXV:

Praesentes votantes . . . . .	2.198
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.134
<i>non placet</i> . . . . .	63
Suffragium nullum . . . . .	1

Textus est probatus.

Lego textum suffragationis XXVII: [*cf. vol. III, pars I, pag. 407*].  
Placetne an non placet?

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA  
*Archiepiscopus Cracoviensis*

*Venerabiles Patres et Fratres,*

1. Decreto *de Oecumenismo* adnectitur declaratio cui titulus « de libertate religiosa », quae duos fines distinctos habet et duo etiam sunt, respectu quorum scripta est. Primus finis: ut actio oecumenica promoveatur, et propter hunc finem declaratio respicit omnes fratres separatos. Finis secundus: ut libertas personae humanae in civitate hodierna, et praesertim in Statu, observetur, et propter hunc finem declaratio respicit praecipue omnes, qui res publicas moderantur. In genere, documentum nostrum, etsi partes doctrinae catholicae continet et illustrat, non est tamen praesertim pro Ecclesia tantum « ad intra », sed potius « ad extra ». Pertinet ad illum dialogum, de quo Paulus Pp. VI, f. r.,



in sua prima Encyclica locutus est, ad duos nempe eius ambitus. Oportet ergo propter perspicuitatem totius documenti, ut 1. haec orientatio ad extra clarius appareat, et 2. ut etiam illi, ad quos declaratio vertitur, bene distinguantur. Secus documentum fines suos non obtinebit. Videtur etiam, non esse proficuum in unico documento fines tam diversos inquirere, praesertim autem ad tam diversos collocutores sese vertere. Melius esset illos duos aspectus libertatis in re religiosa vel in duo documenta distincta inserere (aspectus secundus, i. e. civicus posset in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* suum locum invenire), vel saltem in uno eodemque documento clarius distinguere.

2. Cum agitur de libertate in re religionis, in primo sensu, i. e. oecumenico — tunc oportet ut nexus inter libertatem et veritatem magis sublineatur. Libertas enim una ex parte est propter veritatem, altera tamen ex parte nequit perfici nisi veritatis ope. Unde illa verba Domini nostri, quae tam expresse sonant pro quolibet homine: « veritas liberabit vos » ...<sup>1</sup>. Non datur libertas sine veritate.

Relatio libertatis ad veritatem maximi est momenti in actione oecumenica. Finis enim huius actionis non est alius nisi liberatio totius christianitatis a scissionibus, quae tamen non potest plene adipisci, nisi quando perficietur unio in veritate. Proinde non sufficit, si principium libertatis religiosae erga fratres separatos appareat ut solum principium tolerantiae; tolerantia enim sensum non tantum positivum, sed etiam aliquo modo negativum habet. Cum hoc principio in actione oecumenica obtinetur tantum aliquod « status quo ». Desiderandus autem est progressus in veritate simul cognoscenda, finaliter enim nihil aliud quam veritas liberabit nos a multimodis separationibus.

3. Quando de libertate religiosa in sensu secundo, i. e. civico, fit sermo, tunc agitur utique de principio tolerantiae. *Principium hoc*<sup>2</sup> constituit ius fundamentale hominis religiosi in societate, quod ab omnibus et praesertim ab illis qui res publicas moderantur, debet strictissime observari. Oportet tamen considerare: 1. quod diversae in mundo hodierno existunt res publicae et diversimode etiam leges ab eis statutae ad legem divinam, revelatam et naturalem, se habent. Oportet etiam considerare 2. quod atheistae in omni religione nihil aliud videre cupiunt nisi alienationem mentis humanae, a qua hominem illis etiam mediis, quae Statui competunt, liberare volunt. Docent autem, materialismo innixi, quod liberatio haec simul cum progressu scientifico, praesertim autem tecnico et oeconomico advenire debeat. Loquendo proinde de libertate religiosa oportet omni cum exactitudine praesentare personam humanam, quae nequit tantum considerari ut instrumentum in oeconomia et societate, cum sit eius finis. Oportet, ut persona humana appareat



in reali sublimitate suae naturae rationalis, religio autem ut culmen istius naturae. Consistit enim in libera mentis humanae ad Deum adhaesione, quae est omnino personalis et conscientiosa, et ex appetitu oritur veritatis. Talis homo, cultor Dei in veritate ...<sup>3</sup>, veritatique in sua relatione ad Deum sincerrime intentus, libertatem sui ipsius in hac relatione expostulat nec cessat, nisi eam obtineat. Et huic relationi nullum brachium saeculare sese interponat, quia religio ipsa sua natura omnia saecularia transcendit. Concilium ergo, sub lumine fidei et sanae rationis, debet profiteri plenam et solidam veritatem de homine, qui in religione nullo modo alienatur, sed perficit semetipsum. Hanc veritatem exspectant tam credentes quam etiam non credentes.

Ius ad libertatem religionis exercendae connectitur cum illis iuribus personae, quae respiciunt veritatem — i. e. ius ad eam cognoscendam, ad eam aliis tradendam et cum illis communicandam, unde problema instructionis religiosae in diversis gradibus a schola primaria usque ad seminaria, universitates et academias. Praeterea — ius ad vitam, non solum personalem et privatam, sed etiam communitariam et publicam, in luce veritatis, quam profiteamur, instituendam in diversis ambitibus ...<sup>4</sup>. Omnia ista, quae in particulari multum valent, consectaria videntur illius veritatis, quae in hac re est prima et fundamentalis. Oportet ergo, ut Concilium Vaticanum II veritatem istam in suo dialogo cum mundo hodierno fortiter et efficaciter inculcet. Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (Io. 8, 32).    <sup>2</sup> quae.    <sup>3</sup> (Io. 4, 23).    <sup>4</sup> et sub diverso aspectu.

*Secretarius generalis:* En exitum suffragationis XXVI:

Suffragati sunt . . . . .	2.192 Patres
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.159
<i>non placet</i> . . . . .	32
Suffragium nullum . . . . .	1

Ergo textus est probatus. Nunc audiat is textum suffragationis XXVIII, pag. 16: [*cf. vol. III, pars I, pag. 407*]. Placetne an non placet?

Venerabiles Patres, cum continuetur suffragatio, grati, immo gratissimi vobis erimus, si vestris locis steteritis. Gratias.



## 6

Exc.MUS P. D. GABRIEL GARRONE  
*Archiepiscopus Tolosanus*

*Venerabiles Patres,*

Dummodo, secundum quaesita Patrum et ipsius relatoris promissum, confortentur et emendentur in priore parte declarationis fundamenta doctrinalia, declaratio haec recipienda nobis videtur. Dubito tantum annon expediat, *ut statim audivimus*,<sup>1</sup> declarationem ipsam praevia et profundiore expositione doctrinali muniri, forsitan ad intra tantum, in qua ratio etiam inseratur de evolutione historica quae Ecclesiam ad hanc doctrinam duxit. De qua evolutione in ipsa declaratione breve quid nobis dicendum videtur.

Etenim consideranti modum loquendi Ecclesiae in prioribus saeculis, posset quis Ecclesiam insinceritatis arguere et declarationem nostram hodiernam ut conversionem quamdam artificiosam aestimare utilitati nostrae accommodatam.

Quae accusatio vel insinuatio, vel etiam tantum suspicio eo magis timenda foret si nequidem suspicari velle videamur hanc contradictionis speciem, ita ut de hac re nec verbum faciamus.

Vellem igitur textum quemdam proponere, ut simul constet nos contradictionis speciem non quidem denegare ...<sup>2</sup>, sed legitime realitatem eius renuere. Quem textum paucis verbis explicare liceat, in consensu cum his quae in priore relatione fuse et optime dicta *erant*.<sup>3</sup>

Contradictio enim est de eodem et sub eodem respectu. In *casu* <sup>4</sup> autem nec omnino de eodem agitur nec sub eodem respectu. Etenim:

1. Materia de qua agitur — condiciones nempe vitae humanae in societate — mutationem maximam passa est. *Notio Status* eandem acceptionem non habet ac in Medio Aevo vel etiam saeculo elapso: libertate enim personarum iure restringitur Status potestas. *Bonum etiam commune* definiri hodie nequit nisi ratione habita mundi universi et non tantum alicuius determinatae nationis. Amplius, societas plerumque, *ut scimus*,<sup>5</sup> pluralistica ...<sup>6</sup> facta est, ita ut in ea non tantum confessiones diversae inveniantur, sed etiam atheismum expresse nonnulli *profiteantur*.<sup>7</sup> Tandem, quod maximum est, progrediente ipsa Evangelii luce, dignitas et aequalitas hominum, radicalis libertas, qualis ad veram religionem requiritur, praesertim amoris, iustitiae sensus et respectus mutui obligatio, respectus tandem aliquando personae humanae magis ac magis mentibus ut fundamentalis inscribitur.

2. De modo considerandi materiam. ...<sup>8</sup> Syllabus, v. g., res quasi exclusive sub aspectu generali et obiectivo considerabat, tunc principium aliquod generale damnabatur, *quod*<sup>9</sup> expresse a pluribus *pronuntiabatur*<sup>10</sup>: conceptiones nempe et ideas, sive verae sive falsae sint, eiusdem valoris esse. Hodie quaestio de libertate haec est: quomodo erga personas agendum sit, sive intra sive extra Ecclesiam sint, sive religionem profiteantur sive non. Quod est omnino aliud.

Ecclesia ex his iudicium suum ad modum cuiusvis conscientiae *humanae*<sup>11</sup> efformat. Nullo modo mutantur principia quae quasi *maiolem* sui iudicii constituunt, qualia sunt, modo quidem positivo *expressa, principia*<sup>12</sup> quae in ipso Syllabo inveniebantur de valore et iure exclusivo veritatis; *nec non damnum quod error homini erranti non potest non afferre; obligatio quaerendi ex animo veritatem et ius ad respectum omnium in hac inquisitione*;<sup>13</sup> et etiam officium et proinde ius Ecclesiae viam salutis annuntiandi omnibus hominibus; officium etiam, *ut heri audivimus*,<sup>14</sup> nonnisi per vias evangelicas hominum corda ad Evangelium perducere. Quae principia *et alia*<sup>15</sup> in expositione doctrinali, ut nobis videtur, tractanda essent. *Minor* autem iudicii *conscientiae*<sup>16</sup> ex factis antea dictis exstruitur. Ex quibus constat contradictionis *speciem*<sup>17</sup> evanescere.

Historia quidem obicietur: Ecclesia enim aliter egit in praeterito ac in praesenti declaratione dicitur. At de contextu historico ratio habenda est ut secundum veritatem iudicium de praeterito efformetur, nec praeteritum sub luce praesentis iudicandum est: etenim paulatim tantum evacuantur modi sentiendi communiter accepti, ut est, v. g. illud celebre: « cuius regio, illius religio », quondam veluti cardo ordinis civilis *quasi*<sup>18</sup> ab omnibus habitum. Et praeterea Ecclesia ex hominibus constans etiam in capite suo, ex fragilitate humana interdum errasse fateri et de hoc poenitere non dubitat.

Inde rogare liceat ut, in loco expediendi, haec vel quid simile inserantur: « Non diffitetur Ecclesia doctrinam hanc doctrinae praeteritae oppositam apparere posse. At contradictio non est nisi de eodem et sub eodem respectu. Materia vero omnino mutata est ex evolutione rei socialis et ...<sup>19</sup> personae consideratione in societate. Et aliunde hic agitur, non iam de principiis ut Liberalismus et Indifferentismus, quae prius damnata sunt et damnata manent, sed de modo procedendi erga personas quoad vitam earum religiosam.

« Non diffitetur etiam Ecclesia modum suum agendi in praeterito tempore non fuisse semper huic doctrinae concordem! Postulat autem ut ratio habeatur contextus socialis cuiuscumque temporis ad iudicium iustum efformandum, nec non et necessariii progressus qui tempus re-



quirit in perceptione notionum moralium. Si quae autem inexcusabilia fuerint Ecclesia humiliter poenitere non dubitat ».

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> nec effugisse. <sup>3</sup> sunt. <sup>4</sup> specie. <sup>5</sup> sub aspectu religioso. <sup>6</sup> uti dicitur. <sup>7</sup> profitentur. <sup>8</sup> Aliunde. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> pronuntiatum. <sup>11</sup> deest. <sup>12</sup> deest. <sup>13</sup> deest. <sup>14</sup> deest. <sup>15</sup> deest. <sup>16</sup> deest. <sup>17</sup> apparentiam. <sup>18</sup> deest. <sup>19</sup> crescenti.

*Secretarius generalis:* En textum suffragationis XXIX, pag. 16: [cf. vol. III, pars I, pag. 407-408]. Placetne an non placet?

## 7

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN  
*Episcopus Dalatensis*

*Venerabiles Patres,*

Declaratio conciliaris *de libertate religiosa* mihi videtur maximi momenti, non tantum pro dialogo ineundo inter christianos, sed etiam pro regionibus in quibus christiani solum infimam minoritatem constituunt.

Mihi *tamen*<sup>1</sup> liceat nonnullas animadversiones proponere *circa hanc declarationem*<sup>2</sup>:

1. De sensu vocis « libertas religiosa ». Haec vox diversimode sumi potest. *Attamen*<sup>3</sup> in hac declaratione, optarem ut iam ab initio, ad tollendam omnem ambiguitatem in eius interpretatione, magis delimitetur sensus hic adhibendus historice quatenus respicit relationem non inter homines et Deum vel aliquem ordinem moralem superiorem, sed inter cives ad invicem vel inter particulares et personas morales ut coetus religiosos, gubernia, etc. circa quaestiones religiosas, prout intenditur in constitutionibus plurium gentium et in usu hominum modernorum. Quod iam bene notatum est in relatione exc.mi commissionis secretarii.

2. In n. 26, pag. 29, ad maiorem claritatem in expositione, auderem proponere ut titulus « Natura libertatis religiosae » mutetur in « Principia normativa in quaestione libertatis religiosae », quae *principia*<sup>4</sup> ibi exponantur tamquam ...<sup>5</sup> principia *principalia normativa*<sup>6</sup> cum duplici corollario quibus regulari debet applicatio huius iuris libertatis omnibus inhaerentis, ad obtinendam pacificam conviventiam.

a) Prius principium: Vocatio obiectiva omnium hominum a Deo et ad Deum, secundum providentialem oeconomiam ab Ipso dispositam, oeconomiam de facto in Christo et in Eius Ecclesia culminantem;

b) Alterum principium: Ius et officium correlativum singulorum,



ad liberum huic divinae vocationi responsum, pro respectivo conscientiae dictamine accurate et recte formando.

Inde eruitur quoque duplex corollarium nempe prius relate *ad seipsum*: homo, per religiosam libertatem, ab ordinatione divinae Providentiae nullatenus emancipatur, immo ad Eum libere colendum obligatur;

posterius: ex parte *ceterorum*: Ceteri omnes sive individui, sive societates, in specie Ecclesia et gubernia ac eorum mandatarii, officium habent non solum non impediendi sed etiam, in limitibus boni *communitatis*<sup>7</sup> et dignitatis humanae personae, adiuvandi hoc liberum responsum tum in individuo tum in collectivitate.

Consequenter ad praecedentia dicta in n. 26, crederem alium numerum vel paragraphum desiderari; in qua concinne et clare exponatur prius principium, nempe obiectiva vocatio a Deo et ad Deum. Huius brevis expositionis conclusio esset simplex revocatio posterioris principii et prioris corollarii.

In sequentibus vero numeris, explicitur alterum corollarium, scil. de missione et munere Ecclesiae et societatis civilis ...<sup>8</sup>. Addenda tamen in pag. 30, num. 28, lin. 26, quaedam completiva determinatio: nempe abstinendum esse in hoc munere exercendo, non tantum « ab omni directa vel indirecta coactione », sed etiam ab omni culturalis et traditionalis patrimonii mutilatione apud gentes quibus Christus annuntiatur, nam missio Ecclesiae sicut missio Christi est « non solvere sed adimplere ...<sup>9</sup>, non exuere sed supervestire »; *item abstinendum esse*<sup>10</sup> ab omni implicatione in rebus politicis. Gratias.

---

*In textu scripto tradito*: <sup>1</sup> deest.      <sup>2</sup> deest.      <sup>3</sup> deest.      <sup>4</sup> deest.  
<sup>5</sup> duo.      <sup>6</sup> deest.      <sup>7</sup> communis.      <sup>8</sup> illud non impediendi ac adiuvandi.  
<sup>9</sup> (Mt. 5, 17).      <sup>10</sup> et.

*Secretarius generalis*: Lego textum suffragationis XXX, quae erit ultima hoc mane. Parcatis mihi, Patres venerabiles, si non totum textum legam, quia est longior. Videatis utcumque pag. 16: [*cf. vol. III, pars I, pag. 408-409*]. Placet an non placet?



## 8

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER  
*Archiepiscopus Cincinnatiensis*

*Em.mi Praesides, venerabiles Fratres et Patres, et dilecti Auditores et Observatores,*

*Liceat mihi, non tantum in nomine meo sed etiam in nomine plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, quasdam animadversiones adiungere iis quae iam dictae sunt.<sup>1</sup>*

1. *Loquimur in hac declaratione<sup>2</sup> non de quacumque libertate religiosa,<sup>3</sup> sed praecise de iure personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni externa coactione sive a potestate publica sive a quacumque alia potestate civili<sup>4</sup> inducta. Exc.mus relator hanc distinctionem inter veram libertatem religiosam et alia genera falsae libertatis religiosae iam in sess. II ...<sup>5</sup> et in stante<sup>6</sup> in lucem bene posuit. Numquam nec ullo modo affirmatur ius personae humanae errorem docendi, vel malum faciendi. Ius personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni coactione externa vindicatur tantum ut ius sociale et iuridicum coram potestate civili et in ordine temporali; minime autem affirmatur ius humanae personae eodem modo<sup>7</sup> ad libertatem religiosam coram Deo.*

2.<sup>8</sup> *Valde desiderabile nobis videtur, immo necessarium ad pacem et concordiam in societate civili promovendam, ut in Concilio Vaticano II claris verbis et sine ambiguitate de hac quaestione in schemate de Oecumenismo tractetur. Hoc enim fere, ut iam dictum est,<sup>9</sup> ab omnibus exspectatur, praesertim in illis regionibus ubi pluralismus in religione viget ...<sup>10</sup>.*

*In memoriam redigendum est quod non desunt qui exprobrant catholicos, in re religiosa, ratione quadam ambigua et haud honorabili se gerere. Nam, aiunt, ubi catholici minoritatem politicam constituunt, ibi ius ad plenam libertatem in religione sibi vindicant; ubi vero maioritatem politicam constituunt, ibi ceteris ius non agnoscunt ad plenam libertatem in re religiosa exercendam. Quamobrem haec dubia et suspensiones ita evitari oportet ut difficultates non paucae amoveantur a publica vita catholicorum.*

3. *Notandum est<sup>11</sup>: mutationes plures et magni momenti quoad structuram et competentiam potestatis civilis cursu temporis factae sunt. Publica auctoritas hodiernis temporibus non amplius de bonis spiritualibus iudicat atque decernit. Hodie, fere ubique, cives, praesertim in re religiosa, ius iudicandi independentem a potestate publica sibi vin-*

dicant et hac in re competentiam Status denegant, et merito quidem, quia, si ratio spectetur qua Reipublicae auctoritas exercetur, clare apparet quod ipsa non est apta ad iudicia *pro merito* ferenda in re religiosa; huiusmodi enim auctoritas exercetur principio democratico maioritatis adhibito. Omnino igitur incongruum erit si veritas et valor doctrinae divinae et disciplinae Ecclesiae subicienda sit suffragationi maioritatis civium.

*Libertas etiam est magni momenti pro Ecclesia ipsa.*<sup>12</sup>

I. Ecclesia, propter divinam suam institutionem atque solemne mandatum, quod ei Christus commisit, nempe ad docendos omnes populos, gaudet iure absoluto in munere suo adimplendo, i. e. omnino independentem ab omni temporali auctoritate sive imperio ...<sup>13</sup>. Hanc libertatem Ecclesia constanter defendit iam inde a temporibus apostolicis ac sibi illam vindicavit in omnibus temporibus historiae, maximis non obstantibus difficultatibus. Haec tamen libertas Ecclesiae esset vana et inanis si singula membra eiusdem non essent eodem modo libera, in re religiosa, *nempe*<sup>14</sup> ab omni externa coactione. Haec libertas, ut sit efficax in praxi, includere debet eandem immunitatem pro omnibus civibus ubique terrarum; nam si haec libertas non recognoscetur tamquam principium universale et pro omnibus hominibus validum, frustra eam defendere poterit Ecclesia pro se ipsa, coram opinione mundiali, *et coram etiam omnibus nationibus, praesertim in nationibus ubi viget atheismus.*<sup>15</sup>

II. Multa graviaque damna hodie Ecclesia eiusque membra patiuntur, quia Status seu potestas civilis in pluribus regionibus iniuste obstat libertati religiosae et false sibi usurpat ius ordinandi fidem ac praxim religiosam. Attamen ius determinandi fidem religiosam eiusque praxim soli Deo pertinet eiusque Ecclesiae, quam Ipse pro hoc fine constituit. Hoc iure Status nullo modo gaudet. Si potestas civilis praesumit ordinare fidem et praxim religiosam, eo ipso excedit propriam iurisdictionem. Bonum commune societatis in ordine publico atque iura aliorum tuenda sunt, sed unitas nationalis *et cultura traditionalis*,<sup>16</sup> e. g. in ordine temporali, quamvis *sint elementa*<sup>17</sup> maximi momenti, tamen subici oportet maiori bono spirituali Ecclesiae universalis ratione principii subsidiaritatis, atque etiam subordinari communi bono totius societatis humanae *debent.*<sup>18</sup>

*Nunc ad conclusionem.*<sup>19</sup> Argumentum in textu ex natura fidei et ex natura rationabili hominis desumptum, quod exigit ut persona humana suum finem ultimum assequatur plena voluntate libera, nobis videtur esse validum ac valde placet. *Attamen debemus etiam notare quod transitus ab ordine subiectivo ad ordinem obiectivum non stricto sensu*



*valet. Sunt tamen alia argumenta valida, quae nunc secretariatus tradam propter tempus exhaustum.*<sup>20</sup>

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> 1. Loquor non tantum in nomine meo sed in nomine plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis. Die 17 huius mensis declaratio *de libertate religiosa*, uti in schemate elaborata, diligenti elaboratione habita apud episcopos in coetu adunatos, fere unanimi voce in genere est approbata. Quasdam animadversiones autem volumus adiungere.  
<sup>2</sup> 2. Loquimur. <sup>3</sup> nec de libertate religiosa indeterminata et latiore sensu intellecta. <sup>4</sup> deest. <sup>5</sup> Concilii. <sup>6</sup> deest. <sup>7</sup> deest. <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> deest.  
<sup>10</sup> Apud multos tum catholicos tum non-catholicos dubia adhuc existunt, num Ecclesia catholica agnoscat plenam libertatem religiosam pro omnibus civibus. Quaeritur, enim, utrum libertas Deum colendi tum privatim tum publice, tum in coetibus coadunatis tum singulatim, iuxta rectam singulorum conscientiam, agnoscat pro catholicis tantum vel etiam pro omnibus aliis. <sup>11</sup> deest.  
<sup>12</sup> 4. De libertate religiosa relate ad Ecclesiam. <sup>13</sup> et insuper, ad suum finem assequendum, Ecclesia immunis esse debet ab omni alia externa vi seu coactione. <sup>14</sup> deest. <sup>15</sup> deest. <sup>16</sup> deest. <sup>17</sup> sit elementum. <sup>18</sup> deest. <sup>19</sup> 5. Conclusio. <sup>20</sup> Sunt tamen alia argumenta valida, desumpta sive ex hodierna constitutione iuridica multarum nationum, sive ex incompetencia potestatis civilis in re religiosa decernenda, sive ex necessitate societatis ut pax et concordia apud cives tueantur, sive ex Domini Nostri Iesu Christi exemplo, qui nonnisi media spiritualia adhibuit ad fidem promovendam.

In hodiernis adiunctis quaestio de libertate religiosa, ut mihi videtur, solvenda esse oportet in primis in ordine pratico, potius quam in ordine speculativo. Libertas Ecclesiae in suo munere fungendo est bonum principale, praestantissimum et, igitur, tuendum est ut bonum non tantum in quibusdam territoriis et circumstantiis particularibus, sed etiam in ordine universali et in omnibus circumstantiis. Secundum meam opinionem, non est dubium quin, si declaratio in Synodo de plena immunitate personae humanae in re religiosa solemniter promulgata fuerit, deinde maxime proderit tum Ecclesiae, tum societati, etiamque Oecumenismus valde fovebitur apud omnes fratres seiunctos.

## 9

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ

*Magister generalis Ordinis Praedicatorum*

*Venerabiles Patres,*

Textus huiusce declarationis longe superat textum declarationis praecedentis. Quam ob rem sincero corde laudandi sunt redactores eius, qui tanta cum peritia et diligentia collegerunt observationes et emendationes Patrum, eisque sapienter usi sunt ad textum meliorandum.

Omnia vel fere omnia quae schema forsitan dicere vult, approbari



et laudari possunt; sed revera sunt quaedam, quae ut in schemate sonant, admitti nequeunt, vel quia sic exposita videntur falsa, vel false interpretari possunt.

Verum est, ut iam clarissimus relator asseruit, difficultates ad recte tales res exprimendas, maximas esse, et forsitan quandoque insuperabiles. Tamen quia agitur de re maximi momenti pro nostro tempore, maxime pariter conandum est ut aptiores expressiones inveniantur, in quibus nihil contra vera principia ordinis naturalis et supernaturalis appareat vel inferri possit ...<sup>1</sup>.

Propter quod liceat mihi quasdam animadversiones subiungere. Ampliorem expositionem secretariatus tradam.

1. Permultum attendere debemus ne incidamus in eundem errorem quem in maioribus nostris lamentamur, nempe quod quaedam eorum doctrinae et normae agendi nitebantur non in principiis aeternae veritatis sed in caducis structuris illius temporis. Numquid non est periculum ut etiam nos simus sub influxu idearum et structurarum temporis nostri, quas putamus iam omnino perfectas, cum revera forsitan post aliquod tempus tales erunt mutationes ut posteri nostri mirarentur quod talia doceremus sicut nos miramur de antea actis ab antiquis? Nonne hodie forsitan patimur influxum alicuius conceptus democratiae exaggeratae et libertatis effrenatae?

Quapropter in hac difficili et ponderosa quaestione oportet quod magna cum cautela procedamus ut in re tanti momenti non proponamus tamquam universales et aeternae normae quae tantum in conditione actualis societatis sunt validae vel tolerandae.

Qua de causa, libenter adhaereo sententiae em. morum cardd. Ritter, Browne, et exc. mi D. Parente, secundum quam declaratio debet esse brevior et limitata ad quaedam principia universalialia ac ad quasdam normas genericas quae ab omnibus admitti queant, quin descendatur ad particularia quae difficile vel impossibiliter conciliari possunt ...<sup>2</sup>.

3. Doctrina de libertate religiosa non recte *praesentatur*.<sup>3</sup> Proponitur enim res sacra, modo profano et non satis religioso.

Planum namque est quaestionem de libertate religiosa ad res sacras vel religiosas pertinere. Res autem huiusmodi debent religiose et modo sacro tractari, praesertim si hoc agit Ecclesia catholica in Concilio Oecumenico ...<sup>4</sup>.

Porro haec declaratio modo nimis profano et naturalistico procedit, quia, ipsa favente, *non tractat ex professo de habitudine hominum ad Deum*, sed de habitudine hominum ad homines, in quibus relationibus a Deo praescindere non possumus ...<sup>5</sup>.

4. Saepe in pulchra Encyclica Papae Ioannis XXIII *Pacem in terris*



quaeritur fundamentum ad novās doctrinas docendas. Sed utinam ab his imitarentur prudentia et sapientia in ea elucentes! In ea invenitur felix progressus in expositione aliquarum veritatum quin aliquod contra veram doctrinam traditionalem Ecclesiae dicatur.

Haec declaratio desiderat fulciri suam doctrinam de rectitudine conscientiae verbis Ioannis XXIII, sed omittendum verbum « rectam », textus habet alium omnino sensum ...<sup>6</sup>.

Apparet manifesta deviatio formulae declarationis a formula Ioannis XXIII: aliud est enim « ad *rectam* conscientiae *normam* », ut docet Encyclica, et aliud omnino « secundum dictamen conscientiae », ut dicit declaratio. Deest namque verbum « rectam », quod est principale atque formale.

Quod si paulo post loquitur de officio « rectam sibi de rebus religiosis *conscientiam* formandi » ...<sup>7</sup>, sive iudicium eius *prudenter* efformandi ...<sup>8</sup>, nondum tamen sensum formulae Ioannis XXIII reddit; quia non sunt idem recta conscientia et recta norma conscientiae. Plus namque dicit recta norma conscientiae quam recta conscientia, cum se habeat ad eam ut causa vel ratio ipsius. Conscientia nominat quid subiectivum; norma autem eius, quid obiectivum. Est autem conscientia recta presse dicta illa quae conformatur rectae normae eius, quae est veritas practica — *ut ipsa declaratio, veritate ipsa coacta, expresse fatetur*.<sup>9</sup>

...<sup>10</sup> Ceterum conscientia recta seu prudens nequit esse falsa vel erronea, quia *prudentialis*, utpote *virtuti* intellectuali simul ac morali de vero practico vel agibili, non potest subesse falsum.

Perperam ergo declaratio ponit conscientiam erroneam inter species vel modos conscientiae rectae sive prudentialis ...<sup>11</sup>.

5. *Erronea parificatio libertatis religiosae pro omnibus individuis et pro omnibus coetibus religionis.*

Parificantur quidem quantum ad iura *negativa*, quatenus scil. nemo cogi debet ad amplectendam religionem vel ad eam derelinquendam; neque ratione religionis pati debet discriminationem aut imminutionem iurium civilium.

Minime tamen parificantur quantum ad iura positiva, quia non omnes religiones sunt verae ...<sup>12</sup>.

Neque limitatio libertatis religiosae unice provenit ex bono communi tutando vel conservando, quod in conviventia pacifica omnium civium *omniumque*<sup>13</sup> populorum maxime consistit ...<sup>14</sup>, sed etiam, et quidem primario, ex bono morali universaliter tutando, et malo praecavendo, i. e. *ex norma aeterna, obiectiva, absoluta et universali, quae est lex divina* ...<sup>15</sup>.



6. *Placet mihi dicere quod*<sup>16</sup> libenter adhaereo iis quae dixit em. mus card. König. Dixi.

*In textu scripto tradito:*<sup>1</sup> ut ipse clarissimus relator instanter petit. Placet etiam notare plura explanari in relatione exc. mi D. De Smedt. Verum adhuc remanent varia obscura vel ambigua necessario supprimenda vel rectius exponenda.<sup>2</sup> 2. Declaratio haec male locata. Ponitur enim velut appendix quaedam schematis decreti *de Oecumenismo*, ac proinde ad ipsum quodammodo reduci videtur, ut patet ex ipso n. 25, pag. 29, linn. 1-5. Oecumenismus autem ad solos christianos uniendos restringitur. At vero libertas religiosa, ipsa declaratione fatente, latius patet, quippe quae non solos christianos, sed omnes prorsus homines respicit (n. 29, linn. 34-37). Melius ergo poneretur huiusmodi declaratio velut appendix schematis *de praesentia Ecclesiae in mundo universo*.<sup>3</sup> praesentata.<sup>4</sup> Tam enim Ecclesia catholica quam Concilium Oecumenicum sunt quid essentialiter sacrum et religiosum.<sup>5</sup> (Relatio super declarationem de libertate religiosa, pag. [26] 66). Nimirum, haec declaratio potius videtur orta ex Officina Consilii Nationum Unitarum quam ex Concilio Oecumenico Ecclesiae catholicae.<sup>6</sup> Docet enim Papa Ioannes XXIII: « In hominis iuribus hoc quaeque numerandum est ut et Deum, *ad rectam conscientiae suae normam*, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (Enc. *Pacem in terris: A.A.S.*, 55 [1963], p. 269). Ista vero declaratio dicit: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati, officium et honorem habent ut, *secundum dictamen conscientiae*, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur » (n. 26, linn. 6-9). Ubi.<sup>7</sup> (*ibid.*, lin. 19).<sup>8</sup> (n. 29, pag. 31, lin. 15).<sup>9</sup> deest.<sup>10</sup> Ut ipsa declaratio, veritate ipsa coacta, expresse fatetur n. 29, pag. 31; linn. 7-10: « huius autem vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum *norma* est *lex divina*, quae est *aeterna, obiectiva, absoluta, universalis*. Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam, ut se libere ei conformare valeat ». <sup>11</sup> (n. 29, pag. 31, linn. 16-20). <sup>12</sup> Immo unice vera, iuxta doctrinam fidei, est religio catholica, licet aliae religiones possint habere fragmenta quaedam veritatis. Ut iam saepe doctum fuit, non sunt autem eadem iura positiva veritatis et falsitatis.<sup>13</sup> omniumve.<sup>14</sup> (n. 29, pag. 31, linn. 29-31). <sup>15</sup> (cf. *ibid.*, pag. 31, linn. 7-10); et valet non solum pro individuis, verum etiam pro populis, et pro re sociali et politica recte gerenda. Eadem enim sunt principia moralia pro singulis individuis et pro civili societate, ut saepe tradiderunt Romani Pontifices (LEO XIII, Enc. *Libertas*, DENZ.-SCHÖN., nn. 3248-3249; PIUS XI, Enc. *Quadragesimo anno*, *ibid.* n. 3725; PIUS XII, Enc. *Summi Pontificatus*, n. 3780).<sup>16</sup> deest.

*Animadversiones additae:*

*Declaratio* haec rationem habet mutati status rerum in hodierna vita, unde factum est ut homines in ampliores usque coetus coeant et vehementer cupiant omnia impedimenta tolli, quae humanum convictum, quacumque de causa, reddant difficilem aut minus amicabilem. Incrementum mirabile socialium rationum, quibus homines copulantur, est revera « signum » nostri temporis, dignumque plane ut homo benevolum animum in illud vertat. Quantum eiusmodi « signum » ad Ecclesiae profectum et diffusionem possit conferre nemo non videt, cum eadem



Ecclesia quidquid est in natura bonum assumat et ad ordinem altiorem evehat, atque vi missionis sibi a Christo assignatae nihil vehementius exoptet quam homines universos congregari in fide Christi. Doctrina *declarationis* vult inserere « signum » hoc nostri temporis in Ecclesiae vita illudque in eiusdem utilitatem convertere. Quod sane optimum est atque laudandum.

*Declaratio* tamen in se inspecta non videtur par fini proposito. Tum doctrina, tum methodus emendandae sunt ut fini assequendo aptae fiant. Liceat ergo simplici mente proferre ea, quae in *declaratione* non placent.

1. *De iis quos declaratio respicit.* N. 25, qui est veluti prooemialis, non aptatur doctrinae traditae in *declaratione*, neque statui necessitudinum inter religionem catholicam et alias. Numerus enim ita exaratus est, ut declaratio videatur esse merum complementum schematis *de Oecumenismo*, et respicere proinde solos christianos. Quod sane non cohaeret cum re, quia doctrina proponitur universalis attingens promiscue homines cuiuslibet religionis. In *declaratione* numquam dicitur christianum hominem habere ius aliquod subiectivum in re religiosa, cuius reliqui sint expertes; quin potius *declaratio* manifestam intentionem pandit coequandi omnes homines ad iura religiosa quod attinet, ut plene patebit legenti n. 30. Quapropter nulla est ratio connectendi doctrinam *declarationis* cum doctrina *de Oecumenismo*.

Insuper, ille n. 25 non cohaeret cum dialogo quem init Ecclesia. Quia dialogus, quamvis magis proxime ac directe confessiones christianas adeat, universum tamen mundum attingere vult, ut edicitur in multis documentis scriptis, quorum postremum idemque insigne est encyclica *Ecclesiam suam*, et ut palam proclamatur praesertim facto, quod praeterire non licet, i. e., institutione secretariatus pro religionibus non christianis.

Quaestiones ergo respicientes libertatem religiosam non sunt nisi pars quaestionis universalioris, illius nempe quae definire intendit *Ecclesiam in mundo huius temporis*. Esset propterea multo melius *declarationem* inserere huic schemati, et tunc posset habere proprium locum in n. 12 eiusdem. Si quis vero malit doctrinam de libertate religiosa amplius evolvi quam quod sinat insertio praedicta, huic voluntati satisfieri potest ponendo *declarationem* tamquam appendicem non schematis *de Oecumenismo*, sed schematis *de Ecclesia in mundo*... Hac ratione non solum habebitur apta materiae dispositio et elucebit ordo, qui semper et ubique est bonum praecellens; sed insuper via parabitur ad eliciendos fructus, qui e dialogo Ecclesiae cum religionibus non christianis sperari possunt. Cultoribus enim harum religionum placere minime poterit quod de illis quasi transeunter tantum agatur in documento, cuius inscriptio atque maxima pars quaestiones oecumenicas respicit solas. Christiani seiuncti non possunt aegre ferre distractionem *declarationis*, cum de ipsis iam agatur in speciali documento. Praeterea, non possunt non videre quod fides, quam habent in Christum, nullum ius, attenta *declaratione*, eis conferre prae non credentibus.

Ipsamet tandem *declaratio*, non solum doctrina tradita, sed etiam verbis quibusdam explicitis mutationi loci favet. Dicit enim quod libertas religiosa postulat et securum reddit exercitium « iurium fundamentalium, quae, hodie praesertim, concorditer et universaliter agnoscuntur » (n. 29, pag. 32, linn. 7-8 et, ad confirmandum assertum, appellat in notula 14, pag. 37-38 Professionem Universalem Iurium Humanorum, cuius substantialem nucleum probavit IOANNES XXIII in Litt. Encycl. *Pacem in terris*).

2. *De summo doctrinae capite quo Declaratio innititur.* Rem ingredimur difficilem. Fatemur libenter *declarationem* proponere hac illac principia de vita religiosa, quae omnino probanda sunt, quamvis dispersio ipsa placere minime possit.

a) *De eo quod in declaratione posset esse principium.* Summum principium in re attendendum illud esse posset, quod sequentibus verbis enuntiatur: « vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina, quae est aeterna, obiectiva, absoluta, universalis » (n. 29, pag. 31, linn. 7-8). Unde sequitur quod unusquisque « tenetur hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam ut se libere ei conformare valeat » (ibid., linn. 9-10).

Sed haec non dicuntur nisi circa mediam *declarationem!* Et insuper postrema verba non sunt immunia a quavis difficultate, ut postea ostendetur.

Obiective loquendo pertinent etiam ad ordinem summi principii aliqua sententiae n. 26. Attamen, modus enuntiationis negativae ab eisdem aufert principialitatem; dicitur enim quod libertas religiosa non eximit ab officio sibi formandi conscientiam rectam in re religiosa (n. 26, linn. 18-19). In contextu id non exprimit nisi cautionem, qua exaratores schematis vitare conantur excessus, qui e prima parte eiusdem numeri possent oriri.

Hanc exegesim *declarationis* esse congruentem eidem potest perspicere quisquis legat *relationem* de hac re (haec relatio invenitur in fasciculo altero schematis pag. [27] 67, 4.). Ibi enim allegantur tantum textus a nobis citati; et notandum quod textus desumptus e n. 26 allegatur postremo loco, unde evidenter colligitur quod non est praecipuum in schemate, sed solum veluti frenum, quo mens contineatur ne transiliat limites immutabiles.

Patet igitur veritatem, quae iure censi posset principium obiectivum summum, non inveniri, ipso schemate id confirmante, nisi circa mediam *declarationem*. Sed quis, quaeso, cogitabit principium, quod non enuntiatur nisi in medio tractatu, esse de facto et reapse principium unde cetera eruantur?

Et haec conclusio, quae alicui forsitan videretur illata ob studium improbandi schema, non solum est regulis ratiocinandi congruens, sed insuper eidem schemati conformis. Dicitur enim in *relatione* praecitata quod principium, de quo agimus, appositum est ad excludendum « omne periculum subiectivismi nec non subsequentis indifferentismi » (pag. [27] 67, 4.). Evidens ergo est quod principium adhibetur tamquam cautio, minime vero tamquam fons, unde hauriatur doctrina. Quodsi doctrina non hauritur reapse ab illo, illud non est reapse principium, sed tantum esse *posset*, declaratione aliter ordinata. Insuper, cum ea de quibus modo agimus, apposita fuerint ad cavendum « periculum subiectivismi nec non subsequentis indifferentismi », sat manifesto insinuat quod principium universae *declarationis* talis est naturae ut in subiectivismum nec non subsequentem indifferentismum facile ducat. Si autem principium natura est huiusmodi, vanum est, aut fere, velle frenum eidem imponere, immutabiles quasdam veritates aliunde appellando.

b) *De eo quod revera est summum declarationis principium.* Omnes convenient principium unde sumitur doctrina tradita esse hoc: « homines ... officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur » (n. 26, initio). Verba « ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati » omissa fuerunt consulto.



Inde tamen non sequitur principium deviari a sensu, quem habet in *declaratione*, ut postea ostendetur: cf. harum Animadversionum nn. 5-6.

Quaenam sit virtus praedicti principii in ordine ad vitam religiosam, subiungitur statim post citata verba, ita: « Inde exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem *suam* privatim et publice exercere valent nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt » (n. 26, linn. 9-12).

Summum ergo principium praelucens universae *declarationi* est *libertas conscientiae*, prout conscientia nominat normam *subiectivam* agendi. Nam « dictamen conscientiae », de quo agitur sine addito in verbis prius citatis, est titulus conferens hominibus singulis atque universis ius exercendi privatim et publice religionem *suam* (lin. 10). Non frustra itaque *Relatio* appellabat principia quaedam, quibus iniiceretur frenum subiectivismo et subsequenti indifferentismo, qui in principio latet!

Idem libertatis primatus eminet ubique in universa *declaratione*. Inde fit ut etiam dum contextus postulat loqui de officio, sententia ita componitur ut prae omnibus encomium concinatur libertati. Sic, e. g., in n. 29, pag. 30, linn. 38-39 dicitur quod vocatio divina iter *praescribit* homini ad salutem assequendam. Eiusmodi *praescriptum* gignit in homine *officium* obediendi, ut patet. Sed *declaratio* tacet de officio et viam invenit invehendi libertatem et hoc per modum illationis: « *quapropter* in humano convictu libertas sequendi hanc vocationem sine ulla imposita vel impediende coactione... » (n. 29, pag. 31, linn. 1-2).

Ex eodem fonte promanat quod damnatio coactionis in materia religiosa mirabili instantia iteretur. De ea agit totus n. 28; de eadem re n. 26, lin. 11; n. 29, pag. 31, linn. 2-5 et 19, pag. 32, lin. 1; n. 30, pag. 32, linn. 33-37. Coactio est utique damnanda. Estne tamen necessarium tot damnationes proferre? Nonne iidem illi qui libertatem maxime student passim proclamant res atque doctrinas proponendas esse positive?

Primatus libertatis conscientiae deducitur ad extremum fere incredibile. Libertas Ecclesiae ad credendam fidem catholicam eandemque religiosis ritibus palam profitendi oritur, si *declarationem* inspicias, a dictamine conscientiae suorum fidelium et a iure, quod habent promiscue omnes confessiones, religionem *suam* privatim publiceque profitendi, n. 30, pag. 32, linn. 25-29. Verba quae immediate sequuntur textum citatum, possent intelligi, si cursim tantum legerentur, uti agnitio superioris iuris, divini nempe, unde libertas Ecclesiae hauriatur et roboretur. Id tamen non est verum, quia ea quae ibi dicuntur, etsi obiective pertineant ad ius divinum, non habent vim demonstrandi nisi praesupposita « ipsorum (catholicorum) *animi persuasione* » (lin. 29). Semper igitur ratio subiectiva!

Et haec mirabilis conclusio roborabitur, si quis attendat alium *declarationis* locum, ubi dicitur *animi persuasionem* seu *dictamen conscientiae*, quamvis aliud et aliud sit in hominibus diversae confessionis religiosae, omnibus tamen aequalia iura conferre: n. 29, pag. 31, linn. 11-20. Quae doctrina fundamentum est eorum quae dicuntur in priori parte n. 30. Sic pervenitur ad postremum numerum, ubi fit summarium et commendatio totius doctrinae praecedentis, et ubi ius Ecclesiae subsequitur iura personae et connumeratur iuri aliarum communitatum religiosarum: n. 31, pag. 33, linn. 11-13.

Sed dicet quis forsitan haec omnia extra quaestionem esse, quia iam in n. 26 legitur libertatem religiosam non tollere *officium* « rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi » (n. 26, linn. 18-19). Haec verba mihi placent quam ma-

xime. Sed quaero: cur *officium* hoc, quamvis praecedat omnia iura conscientiae, tacetur dum enuntiatur principium? Nonne ut magis fulgeant ea quae dicuntur conscientiae iura? Cur nec etiam de *rectitudine* conscientiae dicitur quidquam in enuntiatione principii illius, et tamen affirmatur quod singuli homines habent ius exercendi privatim et publice religionem *suam*? Memoretur demum quod, fatente ipsa *Relatione*, haec scripta fuerunt ad cavendum periculum subiectivismi et subsequentis indifferentismi (pag. [27] 67, 4.), quod proinde agnoscitur subesse. Cuius autem efficientiae sit haec infirma appellatio ad principium obiectivum, videat qui possit. Etenim principium eiusmodi prius amovetur a sua sede, ut non impediatur efferre maxime subiectivam libertatem; deinde vero, ne libertas ducat ad subiectivismum et indifferentismum, appellatur. Licetne cum principii ludere in re tam gravi? Cur sumitur a principio id solum quod placet, et non totum id quod ibi continetur? Si *declaratio* incipit principium illud amovendo a sua sede, atque ita mitigando, ut solum inserviat ad id quod placet, alii cito advenient qui principium proiciant e fenestra. Demum, frustra regulae obiectivae appellantur aliquando in documento, quod ubique spirat subiectivismum.

3. *De fontibus illius summi principii.* Planum est principium non inveniri in divina revelatione. Abest etiam a commentariis Patrum, atque ignotum est in traditione theologica. *Declaratio* id agnoscit, saltem implicite, quia nihil ex iis fontibus allegat in confirmationem. Appellat vero « Romanos Pontifices recentiores » (notula 1, pag. 34 sub finem) et nominatim Ioannem XXIII et Paulum VI; simul etiam nititur ostendere doctrinam hanc latuisse iam ab antiquo in magisterio pontificali, eamque, faventibus adiunctis externis, maturasse his nostris temporibus, quapropter illi duo Romani Pontifices illam diserte proposuerunt. Haec omnia videri possunt explanata in diffusa notula 1, pag. 33-35.

A priori tantum ratiocinando difficile est opinari in Magisterio pontificali doceri aperte id quod a ceteris omnibus auctoritatis fontibus abest. Sed accedamus ad ipsos textus allegatos. Allocutio Pauli VI, qua inchoata est secunda sessio Concilii, omnino ad rem non pertinet. Summus Pontifex, feliciter regnans, ibi conqueritur de oppressione *Ecclesiae catholicae* in multis gentibus, i. e., in illis omnibus quae iugum communismi portare coguntur. Non agit *de libertate religiosa*, prout in *Declaratione* intelligitur, sed solum *de libertate Ecclesiae catholicae debita*, qua ius habet profiteri *catholicam religionem*. De hac eadem re egit Paulus VI pluries, e. g., in Nuntio Radiophonico quem e Bethleem misit orbi universo, atque fusius in Encycl. *Ecclesiam suam*. Reliqui omnes Pontifices priores Ioanne XXIII *de una tantum Ecclesiae libertate* loquuntur, cum attingunt res pertinentes ad libertatem religiosam. Quo autem iure proferatur pro *declaratione* auctoritas Leonis XIII, Pii XI et Pii XII (notula 10, pag. 36-37) videat qui possit.

Sed *declaratio*, ut apparet inspicienti notulas bibliographicas, fudit maxime auctoritati Ioannis XXIII. Quaeramus tamen utrum *declaratio* cohaereat reapse cum doctrina huius egregii Pontificis, textuum collationem facientes.

### Ioannes XXIII

« In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, *ad rectam conscientiae suae normam*, venerari possit, et religionem privatim et

### Declaratio

Homines « officium et honorem habent ut, *secundum dictamen conscientiae*, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur. Inde



publice profiteri » (*Pacem in terris*: A.A.S., 55 [1963], p. 269).

exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem *suam* privatim et publice exercere valent, nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt » (n. 26, linn. 7-12).

Ubi Ioannes XXIII effert conscientiam *rectam*, declaratio vocabulum hoc essentielle omittit et loquitur tantummodo de *dictamine conscientiae*; et sic parat viam subiectivismo, qui plenitudinem iurium vindicat sibi in posteriore vocabulo *suam* deficiente apud Ioannem XXIII. Recessus ergo declarationis a textu Ioannis XXIII est evidens.

Verum est quod postea fit sermo de *rectitudine* conscientiae; sed inanitatem practicam huius industriae iam satis patefecimus in superioribus, praesertim in fine praecedentis numeri harum Animadversionum.

Si ergo principium non sumitur ab ullo e praedictis fontibus, quomodo poterit adhiberi a Concilio in ratione principii? Posset adhiberi ad explicationes tradendas hominibus qui sunt extra Ecclesiam, minime ut principium doctrinae ipsius Ecclesiae de re quacumque.

Qui pergere velit inquirendo originem illius principii, ut principii, adire debet novas doctrinas philosophicas de personalismo individuali, legem universalem negligente aut impugnante, ac de subiectiva conscientia, cui ius agnoscendum sit redeundi ad moralitatem quamdam primigeniam, in qua normae obiectivae aut tollantur aut facile immutari possint secundum eiusdem conscientiae dictamen. De hac re possunt videri multa apud Pium XII, Nuntius Radiophonicus *de christiana conscientia recte efformanda*: A.A.S., 44 (1952), pp. 270-278. Quaestio redit apud eundem in aliquibus Allocutionibus super simili argumento.

Minime negare intendimus subsidia quae conscientia suppeditare potest ad pervestigandum Ecclesiae mysterium. Paulus VI pluries locutus est de Ecclesia quaerente conscientiam sui. Via conscientiae est utilis universe ad veritatem inquirendam, cum habet coniunctam « illam mentis conformationem, qua homo veritatem detegit ubi ea in rebus ipsis sane continetur » (PAULUS VI, *Ecclesiam suam*: A.A.S., 56 [1964], p. 619); secus enim causa erit plurium a veritate deviationum, a quibus non sunt immunes « magni nominis philosophi » huius temporis (*ibid.*). Eadem conscientia est utilis speciatim in perscrutando Ecclesiae mysterio, dummodo « clarius noscat quid revera ipsa sit secundum Iesu Christi mentem » (*ibid.*, pag. 618).

E dictis superius, constat *declarationem* tribuere conscientiae plus iuris quam quod ei reapse competit, siquidem eam statuit loco principii. Veritas autem obiectiva appellatur tantum per modum cautionis. Via conscientiae, prout in *declaratione* proponitur, transgreditur limites in praecitatis documentis assignatos, ideoque censenda est non idonea ad exarandum documentum quodcumque Concilii.

4. *De methodo declarationis.* Est methodus mere philosophica et fere scholastica, quamvis adhibita ad proponendam doctrinam omnino aliam ab ea quam scholastici communiter tradiderunt. Enuntiatur primo *thesis* de conscientia, cuius dictamine potest homo sequi religionem *suam*; et postea sumuntur hinc inde argumenta, quibus demonstrare contenditur praenotatam *thesim*, nullo respectu ha-

bito tot tantorumque theologorum, qui doctrinam *declarationi* adversam tradiderunt et tradere pergunt: in quo utique *declaratio* recedit a sana methodo scholastica, cui semper cura est dissidentes recensere eisque vim agnoscere suam.

5. *De conscientia.* In *declaratione* effertur prius *dictamen conscientiae* tamquam regula libertatis religiosae. Deinde dicitur oportere eandem conscientiam esse *rectam* (n. 26, linn. 8 et 19). Postea dicitur eam conscientiam esse *rectam*, cuius iudicium *prudenter* efformatur (n. 29, pag. 31, lin. 14), quia tunc est revera vox Dei et proinde qui dictamen illud sequitur oboedit Deo (*ibid.*, linn. 15-16).

Sed intra quos limites dictamen conscientiae potest esse prudens quod attinet ad res religiosas? Potest esse prudens, dum praecipit adhaerere confessioni non christianae (n. 29, pag. 30, linn. 34-37, pag. 31, linn. 11-20). Potest esse etiam prudens, dum approbat multa, quae obiective sunt sequelae peccati originalis (n. 29, pag. 31, linn. 32-33). Demum, attento integro hoc n. 29, limites dictaminis prudentis videntur esse iidem atque limites iuris ad libertatem religiosam, cum universa *declaratio* ius libertatis a dictamine conscientiae oriri dicat. Ius tamen libertatis religiosae est amplissimum et ibi tantum desinit, ubi incipit ius potestatis civilis impediendi quosdam actus religiosos, uti communitati civili nocivos (n. 29, pag. 31, linn. 29-40). Aliunde, civilis auctoritas nullam directam competentiam habet in res religiosas (n. 30, pag. 33, linn. 4-6; n. 31, pag. 33, linn. 20-22).

Conclusio quae ex iis omnibus sequitur, haec est: dictamen conscientiae *potest* esse prudens, quoties non praecipiat actum externum, communitati civium nocivum. Non est sensus quod quilibet homo singularis possit prudenter agere transeundo indistincte a quolibet determinato dictamine conscientiae ad quodlibet aliud; sed solum quod, ratione habita adiunctorum, prope in infinitum variantium, in quibus alii et alii homines vitam suam agunt, dictamen conscientiae *potest* esse prudens, dummodo non vergat in detrimentum communis civium boni, quod curat civilis auctoritas. Conscientia non laedens commune civitatis bonum est *recta*, prudens, refert ipsam Dei vocem et proinde sequenda est. Et id non solum propter rationes practicas pacifici convictus in aliqua determinata regione, sed propter ius natura omnibus inditum, cum universa *declaratio* intendat enuntiare ius libertatis religiosae, prout ab ea intelligitur, uti ius naturale.

Sed quaerimus nunc: estne verum quod conscientia religiosa *potest* esse prudens hac solum conditione servata, ut scilicet non inclinet ad aliquid communitati civium nocivum? Libertas religiosa est de iure naturae, cauto solum quod civitati non noceat? Secundum declarationis mentem utrique quaestioni respondendum est affirmative. Et non possumus mirationem cohibere, dum videmus allegatum Pium XII ad confirmationem huius theoriae (cf. notulam 13, pag. 37). Pius XII in documento illo agit de *tolerantia*, a qua tamen universa declaratio abhorret. Licetne sensum documentorum Ecclesiae ita pervertere?

6. *De vocatione divina.* Vocationem divinam legimus pluries in declaratione. Quid autem sit numquam dicitur aperto.

Initio n. 26 legitur: « homines ad imaginem Dei formati et *ad consortium divinae naturae vocati* officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et *Salvatoris* in re religiosa sequantur » (n. 26, linn. 6-9).



Postrema verba fundamentum praebere possent ad distinguendam duplicem categoriam hominum: aliorum nempe qui Deum sequuntur tamquam *Creatorem*, et aliorum qui eum colunt uti *Salvatores*. Hinc posset concludi quod declaratio distinguit religionem naturalem a supernaturali, et viceversa, atque proinde quod *vocatio divina*, sumpta locutione sensu communiter usitato, percipitur tantum ab iis qui *salutis* habent conscientiam, abstrahendo nunc a quaestione an conscientia percipiat omnia elementa salutis, aut solum aliqua.

Sed haec interpretatio, quae, si non haberemus nisi textum praecitatum, esset possibilis, non videtur tamen declarationi congruere. Ea quae dicuntur in priori parte textus respiciunt homines universos: Deus enim omnes homines *formavit*, omnes etiam *vocavit* ad consortium naturae suae divinae. Ideo illi homines qui sequuntur voluntatem Dei ut Creatoris iidem sunt atque illi qui sequuntur voluntatem eius ut Salvatoris, et viceversa. Aliunde, cum haec sequela Creatoris et Salvatoris fiat secundum *dictamen conscientiae*, eo ipso affirmatur omnes homines percipere in conscientia sua voluntatem Creatoris et *Salvatoris*, eamque si sequantur, recte agere rectitudine non tantum naturali, sed etiam *salutari*. Hinc, ulterius ratiocinando, sequitur omnes religiones, quibus alii et alii homines adhaereant secundum dictamen conscientiae, esse *salutares* seu supernaturales et proinde a Deo procedentes supernaturaliter secundum eam mensuram, qua Ipsemet conscientiae innotescit. Dictamen vero conscientiae intelligendum est secundum eam universalissimam amplitudinem, de qua in numero praecedenti harum Animadversionum.

Omnium quae praecedunt conclusio haec est: homo *potest divinam vocationem* sequi eo sequelae genere, quo efficiatur consors divinae naturae, dummodo conscientia eius non admittat dictamen communitati civium nocivum. Sic ergo sequela *divinae vocationis* potest eandem latitudinem habere atque conscientia recta.

Haec conclusio confirmatur aliis declarationis sententiis. Dicitur enim, saltem aequivalenter, libertatem religiosam, quam supra vidimus e dictamine conscientiae ortam, esse statum in quo Deus vult ut sibi *vocanti* homines respondeant (n. 29, pag. 30, linn. 34-39 et universa fere pag. 31; n. 30, pag. 33, linn. 7-10; n. 31, pag. 33, linn. 23-25. Vide insuper *relationem*, pag. [26] 66).

Et en sistimus coram gravi conclusione. Si enim haec vera sunt, dicere oportet quod omnis actus emanans a conscientia recta est *eo ipso* actus salutaris, actus quo homo ordinat se ad Deum sicuti est. Nullus actus est, immo *nec esse potest*, moraliter bonus quin eo ipso sit supernaturalis. Moralitas ergo est una tantum, eademque supernaturalis. Inde sequitur, in ordine practico, quod ethica, uti disciplina distincta a theologia morali, est inutilis et propterea tollenda.

Haec sequela de unica moralitate est sane gravissima. Praetermittimus multa, quae de hac re iam inveniuntur in Magisterio Ecclesiae. Hic tantum animadvertere volumus unicitatem hanc esse necessariam, cum pertineat ad ipsam naturam conscientiae rectae, ita ut in nulla hypothesis potuerit Deus res aliter ordinare.

Tunc ergo, quomodo visio beatifica potest esse revera supernaturalis et revera gratuita? Nam quilibet actus eo ipso quod a conscientia recta, sensu explicato, procedat, ducit natura sua ad visionem illam. Nonne iam olim dicebat Pelagius ad vitam moralem honeste secundum Christum ducendam sufficere liberum arbitrium? Existimabat enim ille gratiam idem esse cum libertate. Nunc dicitur homi-

nem sequi Deum *vocantem*, dummodo sequatur conscientiam. Diversae formulae, eadem res!

7. *De iure Ecclesiae ad praedicandum Evangelium.* De hac re loquitur n. 27. Nihil est nobis obiiciendum. Vellemus tamen ut in pag. 30, lin. 7 vocabulum *satagant* mutaretur in aliud maioris roboris, quia fideles *debent* lumen Christi diffundere.

Sed, attenda universa declaratione, numerus hic debilitatur nimis, et amittit totam, aut fere, efficientiam, quae derivatur ex institutione Ecclesiae a Christo. Praedicatio enim est pars libertatis religiosae (n. 30, pag. 32, lin. 38 - pag. 33, lin. 3); et proinde ius praedicandi non potest excedere ius ad libertatem religiosam. Aliunde, ius libertatis religiosae est idem in omnibus qui religionem *suam* sequuntur secundum dictamen conscientiae (n. 26, linn. 8-9; et totus n. 30). Ius ergo Ecclesiae ad praedicandam catholicam fidem est omnino aequale iuri, quod habent ceterae quaecumque religiones, quibus homines adhaereant secundum dictamen conscientiae. Res vere mirabilis! Ut quid, ergo, Christus mortuus est et dedit universale de praedicatione mandatum?

Immo ius Ecclesiae ad praedicandum hominibus, qui iam nunc adhaereant alicui religioni secundum conscientiae suae dictamen, periclitatur ob alia verba declarationis, scil.: « si quis igitur, quantumvis conatus sit recte videre quid Deus ab ipso in concreto petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen » (n. 29, pag. 31, linn. 16-20).

Quis est horum verborum sensus? Non dicitur aperte, sed esse videtur quod homo ille ita errans non potest induci ut adhaereat alii religioni, et proinde nec Ecclesiae catholicae. Ecclesia ergo amisit ius praedicandi illi homini omnibusque aliis qui in simili animi statu inveniantur?

In his omnibus animadvertere oportet hic non agi de quaestione aliqua practica, quam, suadentibus adiunctis, solvere oporteat sic vel aliter, sed de doctrina, immo de doctrina declarante ius naturale atque *vocationem divinam* quod ad vitam religiosam attinet (n. 30, pag. 32, linn. 14-18; n. 31, pag. 33, linn. 24-25).

8. *De incompetencia Status in rebus religiosis.* De habitudine Status ad religionem declaratio habet aliqua, quae sunt omnino probanda, scilicet ius Status non esse « communitates religiosas temporalibus finibus reipublicae subordinare » (n. 30, pag. 33, linn. 6-7). Sed de aliis sententiis est aliter iudicandum.

Videamus quae de incompetencia dicuntur. Primo, eadem incompetencia affirmatur simpliciter (n. 30, pag. 33, linn. 4-5), et, deinde, dicitur orta e natura ipsa civilis principatus: « rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda » (n. 31, pag. 33, linn. 20-22). Potestas ergo civilis *e sua ipsius natura* nequit iudicia religiosa proferre. Et si haec incompetencia est a natura, sequitur quod quotiescumque in historia magistratus civilis aliqua edixit aut praecepit de vita religiosa, non solum in Ecclesia catholica, sed etiam in quacumque alia communitate, abusum commisit.

In confirmationem doctrinae de omnimoda incompetencia Status allegatur Ioannes XXIII, Pius XII, Pius XI et Leo XIII (notula 10, pag. 36-37). De habitudine *declarationis* ad Ioannem XXIII iam diximus supra, n. 3 harum Animadversionum. Insuper Ioannes XXIII ibi agit de iure religioso singulorum hominum



et, adhuc abstrahendo a diffusissima interpretatione illorum verborum, quam declaratio non potest ignorare, quaeritur: iura personae adimunt totaliter civili potestati competentiam in obiectum iurium illorum? Status ergo non habet ullam competentiam in scholam?

Quoad reliquos Pontifices mirum est eos hic allegatos videre. Quia illi agunt tantum de incompetentiā Status ad moderandam vitam religiosam *Ecclesiae catholicae*, cum iure divino illud moderamen Ecclesiae ipsi unice reservetur. Mirabilis sane libertas in detorquendis documentis a sensu suo primigenio!

Sed redeamus ad quaestionem. Si Status est natura incompetens in rebus religiosis, impossibile est eum habere obligationem ullam religiosam, etiamsi agatur de Statu, cuius subditi sint catholici, cuius etiam regimen sit in manu hominum catholicorum; immo, si quando civilis auctoritas, uti talis, intersit actibus religiosis, peccat contra naturam, id ipsum vetantem. Status ergo ut *iuri naturae* sit conformis, debet esse *neuter* in rebus religiosis. Quid ergo de Leone XIII, de aliis Pontificibus, de doctrina communi circa officia Status, ut Status, erga Deum colendum, immo erga Deum *christiane* colendum?

Aliunde dicitur in declaratione Statum debere suppeditare conditiones propitias religioni (n. 30, pag. 33, linn. 7-10), i. e., omnibus religionibus, ne peccet contra ius naturae aliam eligendo prae aliis. Sed ad tenorem praedictorum, Status non potest esse propitius religioni per actus proprie religiosos vel per sententias spectantes directo rem religiosam, quia in iis omnibus est prorsus incompetens. Favor ergo Status erit tantum ope illius ordinationis totius vitae civilis in qua homines libere possint dictamen suae conscientiae sequi. Et sic patet quod coram Statu omnes religiones, catholica minime excepta, sunt aequalis iuris; et Ecclesia non potest habere ius ullum praedicandi doctrinam Christi ultra ius quod habent aliae religiones praedicandi dogmata sua. Secundum declarationem, ius naturae postulat Statum esse neutrum; et proinde idem naturae ius adimit Ecclesiae omnem facultatem vindicandi sibi aliquod speciale iuvamen Status ad diffusionem doctrinae Christi. Et haec doctrina enuntiatur in documento Conciliari, cuius suprema lex debet esse ipsum Iesu Christi evangelium!

Demum, si Status seiungendus est a religione, unde sumitur regula ad iudicandum de moralitate aut immoralitate legis civilis? Quia esset absurdum legem aliquam improbare propterea quod non congruat alicui religionis dogmati, cum Status, ut Status, de dogmate nihil sciat, immo nec scire possit.

9. De « iuribus » peccati originalis ac de permissione divina. Ea quae spectant ad hanc rem habentur in n. 29, pag. 31, linn. 32-33 et n. 28, pag. 30, linn. 11-20. Mirabile est revera legere quod peccatum originale conferat *ius errandi*; quod quidem, in contextu, est *ius naturale* cum fundamentum praebeat iuri sequendi propriam religionem secundum dictamen conscientiae. Absurda sane theoria! Nonne peccatum originale hominem spoliavit gratuitis donis et eum vulneravit in naturalibus? Et ecce id quod semper habitum est vulnus naturae, mutatur in titulum dignificantem ipsam naturam et conferentem ei naturalia iura, quorum exercitio melius possit homo respondere *vocationi divinae*! Quid ergo remanet de peccato originali? Quare hic non commemorantur ea, sane multa, quae dixit Ioannes XXIII de obligatione erga veritatem?

Permissio divina, de qua in numero 28, proponitur etiam tamquam argumentum pro libertate religiosa. Fatemur sane fidem internam esse liberam et nemi-



nem cogi posse ad eam amplectendam. Sed, in contextu, illud temperatum consilium Dei, quo ipsemet decrevit mala permittere in mundo, fundamentum est illius amplioris libertatis religiosae, quam universa declaratio propugnat. Mira tamen est haec appellatio divini consilii, sensu declarationis. Quia illud consilium permittendi ducit ad doctrinam Pii XII de *tolerantia* seu *permissione* alicuius religionis praeter catholicam. Declaratio vero nec nomen tolerantiae seu permissionis in hac re audire vult. An dicemus peccatorem, propterea quod Deus permittit peccata, habere *ius peccandi*? Est ergo ineptum appellare hanc rationem pro libertate religiosa sensu declarationis.

Postulatur ergo *declarationem* retractari *totaliter*, cum principia doctrinae illius sint vel falsa vel nimis infirma ut possint textum conciliarem offerre, qui Evangelio congruat.

## 10

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY  
*Episcopus Corcagiensis et Rossensis*

*Venerabiles Fratres,*

Declaratio in genere placet. Loquor tamen ut quasdam observationes proferam.

1. Libertas religiosa significare potest vel libertatem, secundum dictamen conscientiae, profitendi hanc religionem potiusquam illam, vel libertatem profitendi nullam omnino religionem, i. e., esse atheista. Declaratio nostra primam tantum libertatem proponit. Sed mihi videtur, eius argumentatio nos ducit vel affirmare quoque libertatem infidelitatis vel asserere non dari omnino atheistas bonae fidei. Et cum ratio habeatur illius « propaganda » quae in nonnullis regionibus fit pro atheismo, quin ulla contraria « propaganda » pro religione permittatur, quis serio affirmaret omnes atheistas hodie esse in mala fide?

2. In ordine obiectivo ...<sup>1</sup>, i. e. in ordine statuto a Deo pro hominibus libero arbitrio praeditis, non datur ius ad aliquid erroneum credendum vel aliquid pravum faciendum. Nemo igitur habet ius morale profitendi aut propagandi vel religionem falsam vel atheismum. Ea sola religio quam persona aut communitas habet ius *plene*<sup>2</sup> morale profitendi vel propagandi est illa unica vera religio quam Deus hominibus dedit.

An sequitur tamen ex hoc nullum omnino ius dari profitendi religionem erroneam? Nullo modo. In primis, exsistit et ordo moralis subiectivus in quo ius quoddam tribuitur hominibus bonae voluntatis, i. e., hominibus qui dictamina conscientiae sequuntur. Insuper non omnia quae homo credit et facit, etiam cum religionem falsam profitetur, sunt



objective reprehensibilia. E contrario, fere omnes actiones eius religionis sunt per se actus Deo acceptabiles. Deinde Deus voluntatem liberam nobis hominibus dedit; ideoque, relate saltem ad concives et ad auctoritates plene humanas, ex natura nostra habemus ius hoc liberum arbitrium nostrum independenter ab illis exercendi. Si Deus nos non coercet ne libero arbitrio nostro abutamur, quomodo possunt alii homines vel ipsa auctoritas civilis ius vindicare nos in exercitio huius liberi arbitrii coercere? Ex quo sequitur ius ad libertatem religiosam a nobis vindicandum non esse praecise...<sup>3</sup> morale personae individuae inhaerens profitendi aut exercendi aut divulgandi quidquid credit, etiamsi sit in bona fide, sed potius et principalius ius ne ab aliis, propter ea quae facit, prohibeatur aut impediatur aut persecutionem subeat. Uno verbo, libertas religiosa est melius intelligenda ut ius negativum ne ab aliis coerceamur aut impediatur quando liberum arbitrium nostrum in re religiosa exercemus.

An limites dantur quoad hanc libertatem negativam? Certissime. Inter quos, e. g. ...<sup>4</sup>: non licet alicui ...<sup>5</sup> iura aliena laedere in opinionibus suis profitendis aut divulgandis, ut accidit si alios decipit, vel eorum solitudini se ingerit, vel, et hoc est maximi momenti hodiernis temporibus, si media communicationis monopolizat.

3. Quodvis Gubernium non est natura sua defensor et promotor cuiusvis formae religionis aut irreligionis. Quod ex parte Status requiritur hoc est, ut omnes illas religiones toleret, et tolerandas curet, quas cives eius pacifice profiteri et colere volunt. Hoc cum eo non repugnat quod Status positive faveat religioni particulari, e. g., religioni maioris partis civium. Equidem libertas religiosa componi potest etiam cum religione Status seu religione stabilita in aliqua regione. Quod una religio est prae omnibus aliis privilegiata non necessario imminuit debitam aliarum libertatem existendi et operandi. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> morali. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> ius. <sup>4</sup> hi sunt. <sup>5</sup> esse pacis socialis vel unitatis perturbator, nec licet alicui.

*Moderator:* Audiatur nunc monitum secretarii generalis.

*Secretarius generalis:* Velint omnes Patres ad sua loca redire, quia em.mus moderator quaestionem maximi momenti proponendam habet.

*Moderator:* Sed audiatur statim exc.mus D. Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.



EXC.MUS P. D. CAROLUS COLOMBO  
*Episcopus tit. Victorianensis*

*Venerabiles Patres,*

*Tria videntur mihi dicenda de hac declaratione: ante omnia, quaedam de ratione componendi declarationem; secundo loco, de principiis quibus fundatur doctrina catholica de libertate religiosa; tertio loco, quaedam additamenta declarationi.*

*De methodo componendi declarationem.*<sup>1</sup> 1. Declaratio haec, ut patet,<sup>2</sup> maximi momenti est tum<sup>3</sup> ob practica consecutaria quae ex ea sequi possunt, sed etiam ...<sup>4</sup> ob crism quam de ea ferent homines provectionis culturae — *etiam inter nos in Italia*<sup>5</sup> — qui eam expectant tamquam punctum saliens vel possibilis dialogi, vel insanabilis *discidii*<sup>6</sup> inter catholicam doctrinam et sentiendi rationem hominum nostri temporis.

Qua de causa « declaratio » haec attente expendi debet, et tali modo componenda est ut catholica doctrina quantum fieri potest omnibus hominibus bonae voluntatis intelligibilis reddatur.

Doctrina quae continetur in nn. 29 et 30 huius declarationis, ubi proponuntur applicationes practicae de libertate religiosa tum singularum personarum tum coetuum religiosorum in civili societate, quoad substantiam placet. *Videtur tamen*<sup>7</sup> melius enucleanda et ordinanda et aliquatenus etiam complenda, praesertim ubi fundamenta doctrinae catholicae de libertate religiosa proponuntur. Haec « declaratio » enim, etsi in intentione sit praesertim pastoralis, revera est etiam doctrinalis, atque ut talis — scil. tamquam adaequate exponens doctrinam catholicam in hac materia — a plerisque lectoribus intelligitur.

Quare *omnia principia* doctrinalia, quae materiam de relatione personae humanae cum veritate religiosa et morali regunt, sunt exponenda, ne ex partiali expositione veritatis aliqua illius deformatio facile oriri possit, et ne, *ex ignoratis principiis quibus fundatur*,<sup>8</sup> doctrina proposita appareat veluti accommodamentum quoddam *practicum*<sup>9</sup> (vulgo « compromesso »), et non tamquam nova applicatio principiorum immutabilium.

Ad « declarationem » ergo perficiendam, iuxta desideria relatoris, haec sunt quae humiliter consideranda *propono de principiis quibus fundatur doctrina catholica de libertate religiosa*.<sup>10</sup>

2. Tria sunt *principia* ...<sup>11</sup>: duo naturalia, tertium vero revelatum; et distincte proponenda videntur.

A) *Primum principium* est ius naturale uniuscuiusque hominis ad veritatem inquirendam, praesertim in re religiosa et morali, et ad eandem sectandam prout illa sese conscientiae uniuscuiusque manifestaverit.

Inter Ecclesiae auctoritates, ni fallor, prima vice hoc principium clare affirmavit card. Ioannes B. Montini (*tunc*<sup>12</sup>), in hac aula conciliari die 5 mensis decembris anni 1962 *quando disceptabatur de annuntiatione Evangelii et de relatione inter Ecclesiam et Statum; en eius verba*<sup>13</sup>: « Ius naturale et primum a nobis aperte hac oblata occasione affirmari debet, cum sit etiam ius divinum, videlicet hominum ius accedendi ad veritatem, praesertim ad veritates quae quasi fundamentum vitae efficiunt, et e quarum genere sunt veritates religiosas: ius dico, quod vi impediri nequit sine iniustitia ». Idemque principium solemniter declaravit, ut omnes norunt, felix recordationis Ioannes XXIII in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* ...<sup>14</sup>.

Iamvero ius inquirendae veritatis in re religiosa et morali duo consecraria secumfert. *Primum consecrarium*<sup>15</sup>: libertatem inquisitionis, quae nulla vi physica vel morali impediatur, quia mens humana non coactione vincitur sed ratione; *secundum*<sup>16</sup>: sociale communicationem vel expositionem veritatis quam quis invenerit vel se invenisse iudicaverit. Data enim hominis natura sociali, persona humana non potest in veritate maturare et crescere nisi per dialecticam, ut ita dicam, conversationem cum aliis hominibus. Ex quo patet liberam expositionem propriae sententiae etiam in re religiosa inter fundamentalia iura personae, quae a potestate civili impediri non possunt, esse agnoscendam.

B) *Secundum principium quo fundatur doctrina de libertate religiosa*<sup>17</sup> est obligatio, ex qua ius inviolabile consequitur, sectandi dictamen propriae uniuscuiusque conscientiae certae, *etiam*<sup>18</sup> in re religiosa, quae intime connectitur cum primaria hominis vocatione. De quo iure eiusque consecrariis et limitibus satis clare loquitur textus « declaratio- nis », cui assentio.

C) *Tertium principium*, revelatum, est libertas et supernaturalitas fidei christianae catholicae.

Ex hoc principio duo maximi momenti pro nostro problemate solvendo consequuntur: a) fidem esse tanto magis genuinam scil. christianam et catholicam, quanto magis liberam et personalem in sua adhaesione ad Deum et ad Ecclesiam; b) et alterum: relationem singulorum civium uniuscuiusque populi vel status cum veritate christiana et catholica omnino subtrahi iudicio moderatorum rei publicae: isti enim scire non valent

quandonam singuli subditi donum supernaturale fidei a Deo accipiant; dum *vero debent pro omnibus civibus tutari iura naturalia*.<sup>19</sup>

Ex *tribus*<sup>20</sup> his principiis, quae nuper commemoravi, clare sequitur iuxta catholicam doctrinam rectam ordinationem rei publicae ad hoc tendere debere ut omnibus quam maxima libertas concedatur in materia religiosa, ita ut unusquisque iuxta dictamen practicum propriae conscientiae veritatem inquireat et exponat, eam sectetur et secundum eam vivat, tam privatim quam publice, tam singulariter quam in religiosa communitate.

Haec libertas tamen, ut iure dicitur in textu « declarationis », « eam mensuram excedere non potest sine qua nec dignitas essentialis personae humanae illaesa maneret, nec revera possibilis esset societas hominum »: scil. libertas religiosa personarum et coetuum non eximitur ab observanda lege naturali tam individuali quam sociali, de qua *etiam*<sup>21</sup> moderatores rei publicae *curare debent*.<sup>22</sup>

Cum vero haec principia, super quae fundatur catholica notio libertatis religiosae *in civili societate, non in dogmatica materia*,<sup>23</sup> sint immediate connexa cum ipsa natura humana et cum divina revelatione, et ideo immutabilia, pro omnibus locis et temporibus valent, et pro omnibus hominibus eodem modo eademque ratione: scil. non solum ubi fideles Ecclesiae catholicae minorem partem civilis communitatis constituunt, sed etiam ubi maiorem.

3. Sed post claram expositionem principiorum libertatis religiosae, « declaratio » nostra ...<sup>24</sup>, non minore vigore, alia duo declarare debet, *scil.*<sup>25</sup>: a) obligationem quae unicuique incumbit inquirendi veritatem, praesertim in re religiosa, et quidem per media apta: inter quae, in praesenti ordine Providentiae, iusta aestimatio auctoritatis doctrinalis magisterii Ecclesiae admittenda est; b) et alterum: valorem veritatis revelatae tamquam elementum essenziale boni communis in quacumque humana societate.

Quae tamen relatio boni communis cum religiosa veritate sedulo perpendenda est. Veritas, et praesertim revelata veritas, communicari non potest mediis politicis; ...<sup>26</sup> omnes scimus moderatores rei publicae nullam *habere*<sup>27</sup> facultatem gratiam impertiendi. Veritas communicari potest tantum libera eius expositione et testimonio illorum qui in eam credunt. Quare rei publicae moderatores sese ab omni immixtione in problematibus religiosis solvendis; sed eorum officium est ut omnibus civibus libera pateat via ad expositionem veritatis in quam credunt, et *praesertim*<sup>28</sup> ut *Ecclesia liberam habeat viam ad suam doctrinam exponendam*.<sup>29</sup>



Neque ex hoc timendum est ne veritas ab errore vincatur. Veritas, quae ex Deo est et ipsius divinae maiestatis quaedam manifestatio est, fortis est, vincens omnem humanam debilitatem vel mentis angustiam, immo et malitiam. Et quia adiuvatur a gratia Dei, « qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » ...<sup>30</sup>, fieri non potest quin ipsa demum omnes inimicos suos in hominibus bonae voluntatis non vi vel politicis mediis sibi submittat, sed per arma iustitiae et virtutis Dei. Dixi.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> de libertate religiosa. <sup>3</sup> in hodierna vita Ecclesiae, non tantum, ut patet. <sup>4</sup> et fortasse praesertim. <sup>5</sup> deest. <sup>6</sup> pugnae. <sup>7</sup> Sed videtur; <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> proponere audeo. <sup>11</sup> quibus catholica doctrina de libertate religiosa *in civili* societate fundatur. <sup>12</sup> deest. <sup>13</sup> his verbis. <sup>14</sup> (cf. *A.A.S.*, 1963, pp. 260-261). <sup>15</sup> a). <sup>16</sup> b). <sup>17</sup> Secundum principium naturale. <sup>18</sup> praesertim. <sup>19</sup> ipsi iura naturalia omnium civium tueri tenentur. <sup>20</sup> deest. <sup>21</sup> deest. <sup>22</sup> curam habere tenentur. <sup>23</sup> non in re dogmatica et coram Deo, sed in civili societate. <sup>24</sup> ne subjectivismo cuidam vel relativismo aditum aperiatur. <sup>25</sup> deest. <sup>26</sup> ut. <sup>27</sup> habent. <sup>28</sup> deest. <sup>29</sup> Ecclesiae plena pateat via ad doctrinam salutis annunciandam. <sup>30</sup> (1 *Tim.* 2, 4).

*Secretarius generalis:* Velint Patres ad sua loca remeare; necessarium prorsus est ut sedeant. Interea lego exitus suffragationum quatuor mane peractarum.

## Suffragatio XXVII:

Praesentes votantes . . . . .	2.187
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.140
<i>non placet</i> . . . . .	46
Suffragium nullum . . . . .	1

## Suffragatio XXVIII:

Praesentes votantes . . . . .	2.187
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.139
<i>non placet</i> . . . . .	46
Suffragia nulla . . . . .	2

## Suffragatio XXIX:

Praesentes votantes . . . . .	2.180
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.155
<i>non placet</i> . . . . .	25



## Suffragatio XXX:

Inter Patres . . . . .	2.162
dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.139
<i>non placet</i> . . . . .	21
Suffragia nulla . . . . .	2

Ergo omnes quatuor textus probati sunt a congregatione generali.

*Moderator:* Audiant Patres venerabiles! Moderatores rogant Patres utrum eis placeat necne finem imponere discussionibus de libertate religiosa. Qui vult finem imponere huic discussioni velit surgere!

[*Intervallum*]

Gratias! Si quis adhuc loqui desiderat de hoc capite, hoc faciat iuxta normas traditas nomine 70 Patrum.

Nunc vero referet super declaratione *de iudaeis et de non christianis* em.mus card. Augustinus Bea. Em.mus vir loquitur hodie, quia proxima feria II erit in urbe Patras ut praeses legationis pro deferendo venerando capite S. Andreae.

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

## RELATIO

SUPER DECLARATIONEM DE IUDAEIS ET DE NON-CHRISTIANIS

*Venerabiles Patres,*

1. De schemate Declarationis « De Iudaeis et de non-Christianis » locuturus, unde incipiam nisi a facto, quod haec Declaratio certe inter eas materias numeratur pro quibus opinio publica, quae dicitur, maximum « interesse » ostendit. Vix aliud schema est de quo tanta scripta sunt in ephemeridibus, iisque maxime diffusis, ac de hoc schemate. Quidquid est de rationibus huius interesse deque iudicio quod de eiusdem valore ferendum est, ex solo facto huius interesse clare patet opinionem publicam praecise hac in re oculos ad Ecclesiam convertere ac ex huius Declarationis approbatione aut improbatione multos de Concilio bene aut male iudicatos esse. Hoc certe non est nec sola nec principalis ratio cur haec Declaratio necessaria est. Ipsa enim primario exigitur a fidelitate Ecclesiae in sequendo Christi et Apostolorum exemplo amoris erga hunc populum. Tamen alia ex parte etiam hae rationes potius externae



negligi non debent. Ipsae etiam luculenter manifestant plane impossibile esse id quod aliqui Venerabiles Patres postulaverunt, ut scilicet haec quaestio a programme rerum tractandarum omnino removeatur. Secretariatus noster rationes ab his Patribus propositas, serio examinavit et omnem adhibuit curam, ut hic textus Declarationis iuxta placita a Patribus Concilii hucusque expressa diligenter recognosceretur. Etiam membra Commissionis laboribus Concilii Coordinandis praepositae sciunt sibi circa hunc brevem textum non parum temporis insumendum fuisse.

2. Ecce quomodo talis recognitio facta est. Ac primum quidem, secundum placita in secunda Sessione Concilii in Aula expressa, brevis illa introductio, quae in priore textu initio capituli habebatur, amplius elaborata et pars secunda Declarationis facta est ...<sup>1</sup>. Unde nunc schema duabus fere aequalibus partibus constat, altera de Iudaeis, de non-Christianis altera ...<sup>2</sup>.

3. Quantum ad priorem partem, *quae Iudaeos respicit* ante omnia textus paulo melius ordinatus est, ita scilicet ut melior idearum sequela habeatur. Item aliqua novae ideae additae sunt, maxime duo textus ex Epistula ad Romanos, de praerogativis scilicet populi electi (9, 4) et de spe christiana in eiusdem finalem adunationem cum populo electo Novi Testamenti, id est Ecclesia (11, 25).

4. Punctum *centrale* circa quod mutationes maioris momenti inductae sunt est quaestio sic dicta « deicidii ». Notum est rem amplissime discussam fuisse in ipsis ephemeridibus, id quod tamen sine ulla cooperatione vel interventu Secretariatus factum est. Quare hac de re vobis principalia elementa indicanda esse videntur. Agitur de quaestione, num et quo modo damnatio et mors Christi Domini culpae populi Iudaici *ut talis* adscribendae sint. Plures enim e Iudaeis hodiernis affirmant persuasionem de dicta culpabilitate populi *ut talis* radicem principalem sic dicti antisemitismi esse et proinde fontem multorum malorum et persecutorum quibus Iudaei per saecula obnoxii fuerunt. Haec affirmatio utique minime teneri potest. Iam in relatione anno elapso de hoc eodem schemate hic in Aula habita clare asseveravi: « Scimus optime adesse plures rationes antisemitismi, quae non sunt ordinis religiosi sed politico-nationalis, vel psychologici vel socialis vel economici? ». Tamen ex alia parte negari non potest adesse non pauca exempla in historia variarum nationum, quod illa persuasio de culpabilitate populi Iudaici *ut talis* christianos induxit, ut Iudaeos quibuscum vivebant, ut populum « deicidam » a Deo reprobatum et maledictum considerarent et appellarent, et proinde despicerent, immo etiam persequerentur. Inde hodie Iudaei omni ope contendunt, ut Concilium e contrario publice et sollemniter profiteatur mortem Domini populo iudaico *ut tali* minime ascribendam esse. Iam

vero quaeritur: estne talis declaratio ex parte Concilii possibilis? Si est possibilis, quo modo facienda est et cuius tenoris esse debet?

Uti patet nullo modo hic agitur, neque agi potest, de negando ullo puncto doctrinae, quae ...<sup>3</sup> in Evangeliiis habetur. Quaestio est potius haec: Certe primores Synedrii hierosolymitani, etsi non erant democratice electi a populo, secundum mentem illorum temporum et S. Scripturae ipsius ut legitima populi auctoritas habebantur et habendi sunt. Hac ergo in re consistit gravitas et tragedia eorum, quae haec ...<sup>4</sup> auctoritas circa damnationem et mortem Christi Domini egit. Sed quaerendum est, quaenam est haec gravitas? Num illi primores populi in Ierusalem *plene* intellexerunt divinitatem Christi, ita ut *formaliter* deicidae dicendi sint? Dominus in Cruce ad Patrem orans dixit: « Pater dimitte illis; *non enim sciunt quid faciunt* » (Lc. 23, 34). Si haec ratio non est formula vacua — quod absit — certe significat Iudaeos minime *plene* perspexisse facinus quod patrabant. Etiam S. Petrus, populum Iudaeorum alloquens de crucifixione Domini, dicebat: « Scio quia *per ignorantiam* fecistis, sicut et principes vestri... » (Act. 3, 17). Ergo Sanctus Petrus etiam ipsos principes aliquomodo excusat! Similiter S. Paulus (Act. 13, 27). Praeterea, quidquid est de cognitione quam habuerunt primores in Ierusalem, numquid totus populus iudaicus illius temporis *ut talis* sic et simpliciter *accusari potest propter illa quae egerunt primores in Ierusalem*, ut Christum perderent? Statistice constat tempore apostolico diasporam iudaicam in Imperio Romano circiter quatuor et dimidium miliones numerasse ...<sup>5</sup>. Num hi omnes ...<sup>6</sup> accusandi sunt eorum, quae a synedristis illa tristi feria VI peracta sunt? Et etiam dato, non concesso actus illos toti populo illius temporis *ut tali* ascribi posse, quo iure *hodierno* populo iudaico exprobrarentur? Numquid unquam in ullo casu exprobramus cuiquam alteri populo, quae eius avi vel primores ante undeviginti saecula fecerunt?

5. Secretariatus noster harum condicionum rationem habere studuit ita, ut ex altera parte culpa illorum, qui Christum Dominum in crucem agendum decreverunt, secundum ipsas Evangeliorum narrationes assere retur, ex altera parte autem non populo *ut tali*, et multo minus populo hodierno adscriberetur ...<sup>7</sup>. Non tamen iuvat hac in re provocare ad factum quod Christus Dominus pro omnibus hominibus mortuus est. Hoc enim<sup>8</sup> minime significat culpam pro morte Domini *in ordine historico* — de quo solo hic agitur — ad omnes homines transferendam esse *eosque in ordine historico* causam efficientem mortis Domini fuisse. Ex alia autem parte populus Iudaicus *ut talis* — tum temporis Christi tum eo magis temporis nostri — minime de culpa arguendus est, quam non



habet. Rogo ergo ut hoc problema eiusque variae partes prae oculis habeantur in hac parte Declarationis diiudicanda.

E rei difficultate intelligitur successive unam post aliam complures formulas tentatas fuisse, etiam ut optatis vel difficultatibus Patrum satisfieret. Unde multae huc illucque factae sunt consultationes, quae uti plures inter vos norunt, etiam publice, nescio qua via, innotuerunt. Qua occasione tum Patres Concilii tum alii, etiam non Catholici et non-Christiani, suppliciter rogaverunt, ut quaestio « deicidii » in Declaratione tamen aliquo modo tractaretur. Longum esset has deliberationes per singula referre. Sufficiat indicavisse qua via ad textum quem prae manibus habetis perventum sit. Liceat hoc unum addere: has deliberationes longum tempus insumpsisse. Unde iam non licuit hanc Declarationis partem submittere Membris Secretariatus examinandam. Cum enim Secretariatus omnes alias materias in sessione mense Martio habita absolverit, visum non est ob hanc solam partem et eiusdem Membra Romam denuo convocare. Restat ergo ut schema Declarationis a vobis, Venerabiles Patres, examini subiciatur et discutiatur. Uti videtis, agitur de re magni momenti, sed simul valde difficili.

Unde Secretariatus noster grato animo omnes vestras suggestiones circa hanc Declarationis partem grato animo accipiet ad rem, meliori quo fieri potest modo, secundum voluntatem Concilii bene solvendam.

6. Aliquid dicendum restat de *secunda Declarationis* parte, quae habitudinem nostram ad religiones non christianas respicit ...<sup>9</sup>. Uti iam dixi, in disceptatione generali schematis « De Oecumenismo » anno elapso habita, a pluribus desiderabatur, ut fusius ...<sup>10</sup> de habitudine erga asseclas religionum non christianarum ageretur, et ab aliquibus Patribus postulatum est etiam, ut Musulmanorum explicita mentio fieret. Momentum huius rei in hodierno rerum statu neminem fugit, quippe cum et repraesentantes variarum religionum non christianarum passim contactus aliquos cum Ecclesia Catholica quaerant et omnes omnino religiones hodie sive ab irreligiositate practica sive etiam ab atheismo theoretico militante late grassantibus circumdatae sint. Quando Secretariatus noster hoc thema primo tetigit, immo usque ad mensem Maii huius anni, nulla alia adfuit Commissio vel Secretariatus, quae rem aggredi posset (Secretariatus pro Religionibus non christianis non nisi circa festum Pentecostes huius anni institutus est); ideo nihil remanebat nisi ut Secretariatus noster huius quoque rei ...<sup>11</sup> curam in se susciperet. Quare ope aliquorum peritorum Concilii primum aliquod schema elaborare studuimus. Hoc schemate examini subiecto, Commissio Coordinatrix litteris d.d. 18 Aprilis datis statuit ut tres ideae potissimum in hac parte exponerentur: Deum scilicet esse Patrem omnium hominum hosque



eius filios; eosdem proinde esse inter se fratres; unde damnandam esse omnem speciem discriminationis, vis et persecutionis ob rationes nationales vel stirpis (razza) cuicumque illatas. Cui decisioni, Secretariatus secundum vires obtemperare satagit.

In schematis autem elaboratione secundum desiderium a pluribus Patribus expressum etiam explicita mentio Musulmanorum facta est. De hac autem liceat dicere textum eos respicientem a viris hac in re apprime peritis laudatum esse, scilicet ab Instituto Studiorum Orientalium a Patribus Dominicanis in Civitate Cairensi exstante et a Patribus Missionariis Africae (Pères Blancs) Pontificii Instituti Studiorum Orientalium in Tunisia.

Cum vero ceterae omnes materiae a Secretariatu tractandae iam inde ab initio Martii absolutae essent, hanc Declarationis partem iudicio Membrorum Secretariatus subicere non licuit, id quod nunc fieri poterit, postquam vos, Patres Venerabiles, mentem vestram de schemate aperueritis.

7. Antequam ad finem perveniam, unum verbum *de relatione huius Declarationis ad schema de Oecumenismo* addere liceat. Uti meministis ex disceptatione anno elapso hic habita, inclusio huius materiae in schema « De Oecumenismo » pluribus Patribus non placuit. Quod facile ex eo intellegitur quod « Oecumenismus » sensu stricto actionem ad *christianorum* unitatem promovendam significet. Quia tamen profunda necessitudo specialis existens inter Ecclesiam, id est populum electum Novi Foederis et populum electum Veteris Foederis omnibus christianis communis est, patet dari nexum inter motionem oecumenicam et quaestionem in hac Declaratione tractatam. Attamen nexus christianorum cum populo Iudaico minus arctus est quam relationes, quae intercedunt inter christianos ipsos. Unde materia haec habitudinis nostrae erga Iudaeos aliquomodo a schemate « De Oecumenismo » separata est et proinde non tractatur in aliquo *capite* schematis « De Oecumenismo », sed *separatim* in aliqua Declaratione, quae potius externe tantum ad schema « De Oecumenismo » additur. Hoc modo fortasse omnibus satisfieri poterit, eo vel facilius, quia quaestio loci non sit tanti momenti.

\* \* \*

*Concludendo* liceat naturam et momentum quaestionum in hoc brevi schemate tractatarum efferre. Agitur enim de rebus maximi momenti pro Ecclesia et pro mundo hodierno. Quantum ad habitudinem erga non christianos, momentum rei iam ex eo apparet, quod thema hoc prima vice in historia Ecclesiae ab aliquo Concilio tractatur; et etiam



ex eo quod Sancta Sedes organum speciale ad relationes cum religionibus non christianis fovendas instituit. Idem abunde apparet ex Litteris Encyclicis programmaticis Summi Pontificis « Ecclesiam Suam », ubi de non Christianis deque dialogo cum eis sermo fit. Cogitemus insuper agi in hac re de habitudine catholicorum ad centenos miliones hominum, de caritate erga eosdem, de iis fraterne iuvandis vel de cooperando cum eis ...<sup>12</sup>.

Quantum ad populum Iudaicum oportet iterum iterumque clare efferre, *non agi hic de ulla quaestione politica*, sed de quaestione pure religiosa. Non loquimur hic de Sionismo nec de Statu politico Israel ...<sup>13</sup>, sed de asseclis religionis mosaicae, ubicumque in mundo commorentur. Neque agitur de populo iudaico honoribus et laudibus cumulando, super alias nationes extollendo, vel de privilegiis quibusdam ei tribuendis. Aliquibus visum est schema eo laborare, quod non faciat mentionem omnium eorum — et non sunt pauca — quae Christus Dominus severe ipsis Iudaeis vel de eis dixit, nec ea memoret, quae hic populus ex beneficiis divinis propter suam incredulitatem perdidit. Unde dicitur, schema non offerre imaginem satis aequam status realis huius populi. Si pluribus Patribus ita visum fuerit, evidenter rem iterum accurato examini subiciemus. Liceat tamen iam nunc monere, scopum Declarationis minime eum esse, ut imaginem eamque completam et omnibus numeris absolutam status populi iudaici praeberet. Quanta secus dicenda fuissent, quanta testimonia ...<sup>14</sup> afferenda! Certe ipse Dominus Iesus severissime de populo hoc et ad populum locutus est, uti novimus v. g. ex Evangelio S. Matthaei, sed totum hoc ex caritate fecit, ut eos de hora quae vertebat moneret, ut « cognoscerent tempus visitationis suae » (cf. *Lc.* 19, 44), ac gratias sibi oblatas acciperent, sicque salvi fierent. Etiam S. Paulus ad Thessalonicenses scripsit de Iudaeis: « qui et Dominum occiderunt Iesum et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos usque in finem » (*1 Thess.* 2, 15 s.). Sed idem Apostolus alia ex parte affirmabat: « Veritatem dico in Christo ... quoniam tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis ... » (*Rom.* 9, 13). Hic est ergo finis et scopus Declarationis, ut Ecclesia Christum et Apostolos in hac caritate imitetur, in hac imitatione renovetur, considerans, qua via Deus eius salutem operatus sit, quanta per hunc populum ei contulerit beneficia. Etiam in quantum agitur de damnatione et morte Domini Hierosolymis per operam primorum Iudaeorum adductis, nostrum est imitari caritatem Christi Domini in Cruce ad Patrem pro ipsis orantis, persecutores suos excusantis verbis illis: « nesciunt quid faciunt »;



imitari caritatem Principis Apostolorum et Apostoli gentium. Si Dominus, dum ipse persecutionem patiebatur, erga suos persecutores ita egit, quanto magis nos erga membra hodierna populi Iudaici, qui nullam in illa re culpam habent, caritatem fovere debemus. Dum ergo Ecclesia in hoc Concilio propriae renovationi studet, ac secundum notam expressionem S. Pont. Ioannis XXIII ven. mem. se in maiore fervore suae iuventutis renovare satagit, etiam huic rei manus admovenda videtur, ut Ecclesia in hoc quoque renovetur. Quae renovatio tanti momenti est, ut operae pretium sit, nos etiam periculo exponere, ut aliqui forsitan propter fines politicos hac Declaratione abutantur. Agitur enim de officiis nostris erga veritatem et iustitiam, de officio gratitudinis erga Deum, de officio imitandi fideliter et quam arctissime Christum Dominum ipsum eiusque Apostolos Petrum et Paulum. In his praestandis Ecclesia et hoc Concilium nullo modo pati possunt, ut in ea re ulla immisceatur auctoritas aut ratio politica.

---

*In oratione:* <sup>1</sup> (n. 33). <sup>2</sup> Hae duae partes concluduntur (n. 34) damnatione omnis speciei discriminationis. <sup>3</sup> in Novo Testamento, praesertim. <sup>4</sup> legitima. <sup>5</sup> ergo multo plus, multo plus quam ipsa Palaestina. <sup>6</sup> in diaspora stantes. <sup>7</sup> Ideo nunc proponitur textus in n. 32 (pag. 47), duabus ultimis lineis: « Caveant praeterea (christiani) ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione et Morte Christi perpetrata sunt imputentur ». Non igitur tractanda videbatur in schemate quaestio deicidii principum populi et populi illius temporis. <sup>8</sup> certe verissimum est, sed hoc. <sup>9</sup> dico ad religiones non-christianas: in titulo est « de Iudaeis et de non-christianis », sed non-christiani sunt etiam athei, ergo clarius res exprimenda videtur. <sup>10</sup> etiam. <sup>11</sup> satis difficilis. <sup>12</sup> in rebus quae ad religionem et mores pertinent. <sup>13</sup> in Palaestina fundato. <sup>14</sup> doctrinalia et historica.

*Moderator:* Gratias agimus em.mo relatori. Congregatio proxima erit feria secunda, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.